


Accepit dono a RR.
Valeriano Kreuzmer
ad usum P. Benedikti
Staniszewski Cumad

Ex Bibliotheca P. P.
Camald: Montis Regii



EX TRACTATU DE INCARNATIONE VERBI DIVINI.

De existentia & præcipuis circumstantiis Incarnationis.

INcarnationis existentiam negant 1. Ethnici, Deistæ, & alii Infideles, qui nullas Scripturas ac revelationes Divinas admittunt. 2. Judæi, qui solum vetus Testamentum admittunt. 3. Hæretici, qui licèt utrumque Testamentum agnoscant ut Dei Verbum, tamen negant Christum esse vel verum Deum, vel verum hominem, ideoque existentiam Incarnationis.

Contra hos omnes infideles, Judæos, & Hæreticos generatim & efficaciter.

Prob. Existentia Incarnationis ex motivis credibilitatis, quibus evidenter credibile, imò evidens est religionem christianam esse veram, & à Deo institutam, ideoque vera esse omnia religionis christianæ dogmata,

quorum primarium caput est Verbi Divini Incarnatio. Hæc motiva exponuntur in Tractatu de Fide. Sed contra Atheos iis præmittenda sunt argumenta naturalia, quibus existentia Dei demonstratur.

Verùm hic Incarnationis existentia speciatim contra Judæos & Hæreticos probanda est: contra Judæos quidem, qui falsò putant Messiam futurum esse temporalem tantùm principem, & purum hominem, quique obstinatè negant illum jam venisse, sed eum expectant, ut eos liberaturum à miseriis & calamitatibus temporalibus. Contra Judæos, inquam, statuendum est 1. Messiam esse verum Deum. 2. Jam advenisse. 3. Jesum Christum Filium Mariæ Virginis esse verum illum Messiam à Deo promissum, & à Prophetis prænuntiatum.

Contra Hæreticos verò probanda est existentia Incarnationis, qualem re vera esse Fides docet, refellendo errores omnes circa illud Mysterium exortos. Hæretici quippe variè errarunt circa Mysterium illud; nam alii Christi divinitatem, allii humanitatem veram negarunt; alii duas personas, alii unicam naturam in eo admiserunt: alii denique circa naturam humanam & operationes utriusque naturæ Christi errarunt.

AR-

ARTICULUS I.

Utrùm Messias promissus à Deo, & prænuntiatus à Prophetis, sit verus Deus?

DIco. Messias est Homo-Deus, seu persona SS. Trinitatis facta homo.

Prob. Ex veteri Testamento. 1. ex Isai. c. 9. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super Solium David, & super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio & justitia amodò & usque in sempiternum.* Quæ verba de solo Messia intelligi possunt: nam de solo Messia dici potest, quòd sit Pater futuri sæculi, Princeps pacis cujus non erit finis, quòd super Solium David sedebit regnaturus in æternum. At Messias, de quo hic loquitur Isaias, est verus Deus: nam illum vocat Deum simpliciter & in singulari numero; & nomen Dei simpliciter & in singulari numero soli vero Deo in Scriptura tribuitur. Ergo Messias est verus Deus, ideoque Homo Deus.

Item Isai. c. 35. Isaias de Messia loquens ait: *Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.*

bunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum Et c. 45. *hæc dicit Dominus: labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabáim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator.* Hæc verba sunt Dei Patris alloquentis Messiam, non Isaiæ, ut patet ex his vocibus, *hæc dicit Dominus:* Deus autem pater dicit Messiæ Filio suo naturali: *in te est Deus & non est absque te Deus:* quia Pater est in Filio & Filius in Patre ob naturæ identitatem propter quam etiam Pater non est Deus absque Filio. Deus verò Filius verè est Deus absconditus, quia homo factus Majestatem divinam sub velamine naturæ humanæ abscondit ad homines redimendos.

2. Baruch c. 3. ait: *Hic est* Deus *noster & non æstimabitur alius adversùs eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo. Post hæc in terris visus est & cum hominibus conversatus est* Hic. prophetarum more præteritum tempus pro futuro sumit; & prædicit eum qui est Deus noster præter quem non est alius Deus, quique legem Israelitis dedit, ideoque est verus Deus, in terris verè visum iri assumpta scilicet natura humana, non autem per aliam

appari-

apparitionem, qualis ante legem data fuit, ut patet ex his verbis, *post hæc in terris visus est*, id est, videbitur.

3. Ex Psalmis Davidicis. Psal. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hic Messias loquens inducitur, ut patet ex his verbis ista præcedentibus: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Ibi autem Messias dicitur Filius Dei naturalis: nam dicitur Filius modo singulari ac proprio, qui aliis non conveniat, & genitus. At Filius Dei naturalis & à Deo genitus est veré Deus: nam genitus est ex substantia generantis, ideoque genitus à Deo habet eandem substantiam ac divinitatem quam habet Deus Pater. Idem constat ex Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.* Et infrà. *Ex utero ante luciferum genui te;* hoc est ex substantia mea ab æterno genui te, communicando tibi meam naturam Divinam. De Messia autem hæc intelligi. patet. ex eo quòd posteà idem Dominus ex substantia Dei ab æterno genitus dicatur futurus Sacerdos in æternum. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundúm ordinem Melchisedech.*

Psal. 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga Regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea un-*

xit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ cunſortibus ſui. Quæ verba intelligi nequeunt niſi de eo, qui ſimul ſit Deus & homo, ideoque de ſolo Meſſiâ, non de Salomone, qui fuit purus homo & figura Meſſiæ.

Obj. Meſſias eſt ſimilis Moyſi, nam, Deut. c. 18. dicit Iſraelitis: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus; ipſum audies.* Quæ verba Petrus, Act. c. 3. exponit de Meſſia.

Reſp. Meſſias eſt ſimilis Moyſi quoad aliqua, nempe quoad naturam humanam aſſumptam, & quoad quædam officia ut ducis populi Dei, quæ tamen longè perfectiùs adimplevit. At eſt Moyſi diſſimilis quoad divinitatem, poteſtatem, & alia munera, ut liberandi homines à peccato, eoſque redimendi, ſatisfaciendi Deo, &c. Nam hæc ſicut alia multa quæ ad Meſſiam ſpectant, ut naſci ex Virgine, &c. non conveniunt Moyſi.

ARTICULUS II.

Utrùm Meſſias à Deo promiſſus jam advenerit?

DIco. Meſſias à Deo promiſſus, qui eſt verus Deus & verus Homo, jam à multis ſæculis venit.

Prob. Ex vaticinio Patriarchæ Jacob, qui ſpiritu Divino afflatus, filiis ſuis prædicens ea, quæ eorum poſteris eventura erant, ſic

Judam

Judam alloquitur, Genes. c. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Sensus est, omnem supremam potestetem à Tribu Juda absolutè auferendam non fuisse donec veniret Messias. Nam sceptrum significat supremam potestatem cujus est signum; femur stirpem; & hæ voces *qui mittendus est*, significant Messiam, qui dicitur simpliciter missus aut mittendus, quia mittendus erat ad opus omnium præstantissimum, nempe ad redemptionem generis humani, & procurationem gloriæ Dei infinitæ; & re ipsa textus Chaldæus magnæ apud Judæos auctoritatis habet Messiam. Atqui Suprema Potestas omnis jam dudum desiit non solùm in Tribu Juda, sed etiam in tota gente Judæorum, qui à multis sæculis dura servitute ubique depressi sunt sine Rege, sine Principe, sine Templo, sine Sacrificio, &c. ergo jam à multis sæculis Messias venit.

Dices 1. Sceptrum exprimitur per vocem *schevet*, quæ virgam significat, ideoque castigationem. Unde sensus prophetiæ est, afflictionis virgam non recessuram à Juda donec veniat qui mittendus est.

Resp. Nego. Nam 1. Hæc vox significat etiam sceptrum, seu signum supremæ potestatis, & hic sceptrum significare patet ex his vocibus sequentibus, *& Dux de femore ejus.*

ejus. 2. Jacob ibi omnia fausta Tribui Judæ præ aliis prænuntiat, nimirum honorem ab aliis Tribubus, victoriam de hostibus, principatum, pacem, vitæ commoda, ubertatem, formæ dignitatem & decorem: unde incipit ab his verbis: *Juda, te laudabunt fratres tui.* 3. Denique virga afflictionis non fuit in Tribu Juda ad Messiam usque. Nam hæc Tribus plurimùm floruit sub Davide, Salomone, & aliis Regibus, levioribusque & minùs diuturnis calamitatibus afflicta est quàm aliæ, ut constat ex Scriptura: aliis enim Tribubus captivis floruit sub Ezechia & Josia, iisdemque in captivitate remanentibus, remissa est libera in patriam, & sub Machabæis suprema potestate fruebatur.

Dices 2. Circa mediam Assiriam, Babyloniam, & montem Caucasum, ubi decem Tribus post captivitatem Babylonicam remanserunt, extat Imperium Judæorum, in quo præficiuntur Duces ex Tribu Juda, ut testantur aliqui Rabini.

Resp. Hoc est prorsus fictitium: nam ex mercatoribus & omnibus aliis, qui Assyriam & totam Asiam peragrarunt, constat Judæos ubique viles & servos esse.

Nota. Jacob non prædixit fore ut statim à sua morte vel ab exitu Hebræorum ex Ægypto Tribus Juda sceptrum obtineret, sed duntaxat fore ut ex quo Tribus Juda sceptrum

sceptrum obtinuisset, eo non destitueretur simpliciter & omnino donec Messias veniret.

Prob. 2. Ex Danielis c. 9. ubi Angelus Gabriel revelat tempus, quo Christus, seu Messias, sit venturus & occidendus, & futura sit ultima Judæorum ruina. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum Ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est, & civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet Hostia & Sacrificium; & erit in Templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Juxta hoc vaticinium numerandæ sunt tantùm 70. seu potiùs 69. hebdomades ab Edicto, seu executione Edicti Artaxerxis longimani de restaurandis urbe Jerusalem &

ejus Templo usque ad Christum ducem seu Messiam. Nam hic est sensus horum verborum: *ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum Ducem hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt*: id est sexaginta novem. Atqui illæ hebdomadæ jam pridem effluxere. Ergo iam venit Messias quicumque ille sit. Minor constat; nam illæ hebdomades vel sunt hebdomades dierum, vel annorum: non enim sunt aliæ hebdomades in tota Scriptura: & Angelus qui Hebræo tempus difinitum adventus Messiæ revelabat, illas non accepit in alio sensu quàm accipi solebant ab Hebræis; alioqui Daniel nihil ex illa revelatione certò cognoscere potuisset, quod repugnat his verbis, *scito ergo & animadverte, &c.* At illæ hebdomadæ quamvis sint annorum, jamdiu effluxere, ut patet. Nam illæ non sunt nisi 490. anni, qui incipiunt ab anno mundi 3528. vel 3529. quo exiit edictum de restauranda urbe, ac proinde desinunt in annum mundi 4018. vel 4019. Præterea constat Urbis ac Sanctuarii ruinam, & Sacrificiorum abolitionem jam pridem contigisse.

Dices 1. Non consentiunt omnes à quo anno numerandæ sint illæ hebdomades.

Resp. Quamvis propter obscuritatem historiæ, de aliquibus dissentiant Doctores; tamen inter omnes constat & constare debet,

bet, illas omnes hebdomadas à multis ſæculis elapſas eſſe. Nam certum & evidens eſt, ea quæ futura erant poſt illas hebdomadas, jam à multis ſæculis contigiſſe: nempe civitas Hieroſolymitana Judææ regionis Caput, Sanctuarium ac Templum funditùs eversa ſunt, Sacrificia deſierunt; & deſolatio illa Vaticinii à multis ſæculis peracta eſt. Quare vis hujus Vaticinii non pendet ab epoca, unde ſumi debet initium hebdomadarum.

Dices 2. Per Chriſtum ibi intelligitur fortè vel Cyrus Rex Perſarum, qui Judæos in patriam remiſit, & qui, Iſai c. 45. vocatur Chriſtus: vel Zorobabel, qui in illo reditu fuit dux populi & princeps: vel Joſue filius Joſedech, qui poſt captivitatem ſummum ſacerdotium geſſit: vel Eſdras Sacerdos, vel Nehemias, vel aliquis ſummus Judæorum Pontifex, &c.

Reſp. Neg. Nam ex hac prophetia Chriſtus ille eſt ſanctus Sanctorum, ſeu ſanctitas ſanctitatum, ut habet Hebræus textus, iniquitatem deleturus eſt, & juſtitiam ſempiternam adducturus: quæ convenire non poſſunt niſi Meſſiæ, qui ſimul ſit homo & Deus.

Præterea Chriſtus ille omnem implet prophetiam, occidendus & negandus eſt à populo ſuo, ejus mortem ſequitur Urbis ruina, Templi profanatio & excidium, aboli-

tio

tio Sacrificiorum, denique gèntis Judææ, desolatio usque ad finem mundi duratura, in pœnam scilicet occisionis Christi: quæ omnia nulli ex citatis conveniunt.

Prob. 3. Ex Aggæi c. 2. ubi dicitur: *Hæc dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est, & ego commovebo Cœlum & Terram, & Mare, & Aridam. Et movebo omnes gentes; & veniet desideratus cunctis gentibus: & implete domum istam gloria, dicit Dominus exercituum .... magna erit gloria domus istius novissimæ plus quàm primæ.* Certè desideratus ille cunctis gentibus est ipse Messias, qui, Genes. c. 42. dicitur expectátio gentium, & in quo benedicendæ sunt omnes gentes secundùm promissionem à Deo Abrahæ factam. Ex illa autem prophetia Messias ille venturus erat post unum modicum tempus, quod certè jamdiu effluxit, cùm ab Aggæo ad nos usque fluxerint plus quàm duo annorum millia, quod certè non est modicum in æstimatione hominum, secundùm quam Deus locutus est, alioqui non intelligeretur. Præterea ille Messias venturus erat dum staret Templum secundum post reditum ex captivitate Babilonica constructum, cujus major futura erat gloria: quàm primi à Salomone exrructi, nempe ob præsentiam Messiæ illud ingredientis. At Templum illud secundum jam diu funditùs excisum est.

Dices,

Dices. Meſſias deſiderari nec expectari poterat à gentibus, quippe quæ eum non noverant. Ergo deſideratus ille cunctis gentibus non eſt Meſſias.

Reſp. Meſſias dicitur deſideratus cunctis gentibus, quia gentes eum implicitè, virtualiter & interpretativè deſiderabant, cùm ejus redemptione maximè indigerent: nam quiſque virtualiter, implicitè & interpretativè deſiderat ea, quibus maxime indiget, & quæ ſi clarè cognoſceret, expreſsè expeteret. Gentes autem omnes Redemptore indigebant æquè ac Judæi. Quare gentes Meſſiam deſiderabant, quomodo terra in ſiccitate imbrem deſiderare & expectare dicitur, vel tò *deſideratus* ibi ſignificat deſiderabilem: vel ibi more Prophetarum præteritum tempus pro futuro adhibetur; & ſic deſideratus ſignificat deſiderandum; quia Meſſias aliquando à gentibus deſiderandus & amandus erit.

ARTICULUS III.

Utrùm Jeſus Filius Mariæ ſit verus Meſſias?

§. I.

DIco. Jeſus-Chriſtus Filius Mariæ ſub Auguſto natus, & ſub Tiberio Cruci affixus eſt verus Meſſias.

Prob.

Prob. Ille eſt verus Meſſias, in quo impleta ſunt omnia, quæ à Prophetis de Meſſia prænuntiata fuerunt. Atqui hæc omnia in Jeſu Filio Mariæ Virginis impleta ſunt. Ergo Jeſus Filius Mariæ Virginis eſt verus Meſſias. *Prob. min. inductione:* Nam de Meſſia à Prophetis prædicta ſunt 1. ortus ex Virgine, Iſai. c. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel,* id eſt, nobiſcum Deus. 2. Locus nativitatis in Urbe Bethleem, Mich. c. 5. *& tu Bethleem, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* 3. Præcurſor, qui viam ejus præpararet, Malach. c. 3. *ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad Templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis.* 4. Prædicatio, Iſai. c. 61. *Spiritus Domini ſuper me eò quòd unxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam: ut prædicarem annum placabilem Domino, &c.* 5. Miracula, Iſai c. 35. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, &c.* 6. Nomen Salvatoris, paupertas, ingreſſus in Urbem Jeruſalem ſuper Aſinam, Zachar. c. 9. *exulta ſatis filia Sion, jubila filia Jeruſalem; ecce Rex tuus veniet tibi*

juſtus

justus, & salvator: ipse pauper, & ascendens super Asinam, & super pullum filium Asinæ. 7. Passio propter salutem hominum, ignominia, sputa, omnis generis contumelia, Isai. c. 53. *non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum despectum & novissimum virorum, virum dolorum .... putavimus eum quasi leprosum, & percussum à* Deo, *& humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra .... Et livore ejus sanati sumus .... Sicut Ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum, &c.* Et c. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.* 8. Pænæ internæ, opprobria, fossio manuum ac pedum, vestium divisio & sortitio, derisio contumeliosa, Psal. 21. *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? .... Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt caput .... Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea .... Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* 9. Potus fellis & aceti, Psal. 68. *dederunt in escam meam fel: & in siti mea potaverunt me aceto.* 10. Mors inter latrones pro peccatis homi-

hominum, oratio pro inimicis suis, Isai. c. 53. *tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.* 11. Lateris fossio, Zachar. cap. 12. *aspicient ad me, quem confixerunt.* 12. Resurrectio, Psal. 15. *non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Et Psal. 56. *exurgam diluculò.* 13. Ascensus in Cœlum, & Missio Spiritus-sancti, Psal. 67. *ascendisti in Altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus .... Psallite Deo, qui ascendit super Cœlos ad Orientem.* 14. Gentium conversio ad veri Dei fidem per Messiam, Isai. c. 49. *ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Et. c. 55. *ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis: & gentes quæ te non cognoverunt, ad te current.* Et Zachar. c. 2. *ecce ego venio .... Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum.* 15. Ejus doctrinæ prædicatio per ejus Apostolos, Isai. c. 66. *venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis: & venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in Mare, in Africam, & Lydiam: in Italiam & Græciam, ad Insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt*

tiabunt gloriam meam gentibus. Denique Judæorum reprobatio & desolatio ob infidelitatem suam, & Christi necem ab eis illatam, Daniel. c. 9. *post Hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem Belli statuta desolatio, &c.*

Atqui hæc omnia in Jesu Christo Filio Mariæ nato sub Augusto, & Cruci affixo sub Tiberio impleta fuerunt, & quidem tam perfectè, ut Prophetæ non tam futura prædixisse, quàm præterita retulisse videantur; quod patet ex tota narratione Evangelica, de cujus veritate ne Judæi quidem nisi ex stolida pertinacia dubitare possunt, cum scripta & prædicata sit à multis testibus oculatis, viris probatæ sanctitatis & prudentiæ loco dissitis, cum multis laboribus & vitæ periculo, post mortem Christi, à quo nihil sperandum erat si ipse impostor fuisset, & coram innumeris hominibus ac ipsis Judæis, qui Christum & ejus facta viderant, & illos manifestæ falsitatis convincere potuissent, si quid falsi narrassent.

Adde quòd hæc tota narratio, & doctrina Christiana sensibus ingrata, cupiditatibus omnibus inimica, & creditu difficillima, sim-

plici ſtylo expoſita à paucis viris pauperibus, ignobilibus, rudibus, literarum humanarum imperitis, omni præſidio humano deſtitutis, diu totis viribus oppugnata ab Imperatoribus ac Regibus & populis, ab Oratoribus & Philoſophis, non obſtantibus multis perſecutionibus, bonorum ſpoliatione, & ſuppliciis, quibus affecti ſunt innumeri omnium ætatum ac conditionum hominibus illam ſectantibus, credita & recepta tandem ubique fuerit ab ipſis Imperatoribus, Regibus, Optimatibus, ab hominibus ingenio ac doctrina præſtantiſſimis; innumeris miraculis, atque à multis Martyrum omnis ſexus, ætatis ac conditionis millionibus confirmata fuerit; Idololatriam deſtruxerit; ſit ad morum ſanctitatem efficaciſſima, cùm omne vitium damnet, virtutes omnes commendet, media efficacia ad eas comparandas ſuppeditet, ſublimem de Deo cognitionem ac cultum ejus perfectiſſimum doceat, corruptos mores emendet, & innumeros homines ad ſanctitatem omninò ſupernaturalem evexerit, multoſque quotidie evehat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Multa de Meſſia prædicta ſunt in Scriptura, quæ non conveniunt Jeſu Filii

Mariæ,

Mariæ, nempe quòd allaturus ſit pacem, bonorum omnium copiam, magnam populi felicitatem, quòd magnum in gentes Dominium & Regiam dignitatem ac poteſtatem habiturus ſit. Ergo Jeſus Filius Mariæ non eſt Meſſias.

Reſp. Nego antec. Nam bona illa omnia, nempe pax, felicitas, Regnum, gloria, &c. intelligenda ſunt in ſenſu ſpirituali, & de bonis cœleſtibus ac æternis. Præterea multa prædicuntur, quæ ſecundum Chriſti adventum ſpectant, quando nempe ſumma cum gloria & majeſtate univerſum orbem & omnes homines judicaturus eſt in fine mundi, quæ Judæi falsò tribuunt primo adventui. Enim verò Prophetæ alibi deſcribunt Meſſiam pauperem, humilem, virum dolorum, deſpectum, opprobriis ſaturatum, & crudeli morte perimendum: quæ ſane ad primum ejus adventum ſpectant.

Obj. 2. Sceptrum non permanſit in domo Juda uſque ad adventum Chriſti Jeſu Filii Mariæ, ſed longè ante deſiit, nempe ſexcentis circiter annis. Nam 1. Judæorum apud Babylonios captivitas 70. annis duravit. 2. Poſt reditum ex hac captivitate nullus fuit Rex apud Judæos, nam Jerem. c. 22. de Jechonia dicitur: *Scribe virum iſtum ſterilem.... Nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper Solium David, & poteſtatem habeat ultra*

in Juda. 3. Machabæi Sacerdotes ex Tribu Levi præfuerunt Judæorum genti per ducentos circiter annos ante adventum Jesu Filii Mariæ.

Resp. Nego antec. ad 1. *Resp*. Tempore captivitatis Babylonicæ suprema potestas non fuit penitùs & sine spe restitutionis ablata de domo Juda, sed solùm ad breve tempus. Sic ex eo quod Carolus II. Angliæ Rex aliquot annis Regno expulsus fuerit, dici non potest Coronam Angliæ è Stuartorum familia ablatam in illo fuisse. Præterea Jechonias licèt in vinculis, habeatur semper Rex Judæorum, & è carcere eductus Regiæ dignitatis insignibus ac magna potestate usus est. Item Judæi in captivitate obtinuerunt potestatem se ipsos gubernandi, & judicandi secundum suas leges, ut patet ex historia Susannæ. Sensus autem Vaticinij Jacob est, quòd suprema potestas è Tribu Juda penitùs & in perpetuum auferenda non sit donec veniat Messias.

Resp. ad 2. Post solutam captivitatem nemo quidem Regis nomine & splendore insignitus fuit; sed tamen fuerunt semper in Tribu Juda, qui sub Ducum nomine præessent, & statim à captivitate Zorobabel filius Salathiel nepos Jechoniæ fuit Dux populi Babylone redeuntis. Alii verò qui post eum Duces fuerunt, supremam potestatem nomi-

nomine Tribus Juda, & auctoritate ab ea accepta exercebant. Unde suprema potestas in domo Juda non defuit simpliciter, sed solùm quoad nomen & splendorem Regis. Igitur quamvis Sceptrum in familia David defecerit, illud tamen in Tribu Juda semper remansit usque ad Christum, quod nobis sufficit.

Resp. 3. Quamvis Sacerdotes ex Tribu Levi præpositi fuissent duces, tamen verè suprema potestas semper erat primariò penes Tribum Juda, secundariò verò & ministerialiter tantùm penes Machabæos. Nam duces & summi Pontifices de Tribu Levi, & Senatores Concilii Sanhedrin à Tribu Juda electi sunt, ut ejus nomine & tanquam ejus ministri, & secundum suas leges Rempublicam administrarent. Quod patet ex lib. 1. Machab. cap. 9. ubi defuncto Juda omnes Judæi amici Judæ *dixerunt Jonathæ .... te hodie elegimus esse pro nobis in principem & ducem* Et additur: *& suscepit Jonathas tempore illo principatum.* Et ex lib. 2. c. 11. ubi Antiochus Eupator tempore Judæ Machabæi cupiens pacem cum Judæis inire, sic scribit ad Judæos: *Rex Antiochus Senatui Judæorum, & cæteris Judæis salutem.* Quæ verba ostendunt supremam potestatem semper fuisse etiam tempore Machabæorum penes Tribum Judæ, non Machabæos. Igitur sceptrum

verè

verè remansit penès Tribum Juda etiam toto tempore quo Machabæi duces fuere. Sic rectè dicitur sceptrum Poloniæ teneri à Polonis, & in gente Polonica residere, licèt interdum exteri ab ipsis electi, toti Regno cum Regio titulo præficiantur, ut Henricus Valesius Gallus, Sigismundus Suecus, & nunc dux Saxoniæ Germanus à Polonis in Reges electi sunt.

Quemadmodum igitur dici non potest sceptrum Polonicum ad Gallos, aut Germanos transiisse, & in gente Polonica defecisse, eò quòd Gallus vel Germanus in Regem electus sit à gente Polonica, ut Remp. suo nomine & secundum suas leges administraret: ita nec sceptrum Tribus Judæ dici potest in Tribum Levi transiisse: Quare sceptrum semper in domo Juda verè remansit donec Herodes alienigena Regnum Judæorum absque spe restitutionis à Romanis obtinuit, quod contigit tempore Christi: sicut suprema potestas à gente Polonica non deficiet, nisi aliquis alienigena sibi & posteris suis Regnum Polonicum vindicet.

Inst. 1. Machabæi non erant de Tribu Juda, & tamen erant duces populi Judaici. At juxta prophetiam dux de fœmore Juda non deficiet usque ad Messiæ adventum: Ergo.

Resp Disting. maj. Machabæi erant duces secundarii, hoc est, ministri ducis primarii,

marii, nempe Tribus Juda, cujus consensu, electione & nomine Rempublicam administrabant, *conc. maj.* Machabæi erant duces primarii & independentes à Tribu Juda, *nego maj.* Nam Tribum Juda non regebant nisi ejus consensu, nomine, & auctoritate ab illa accepta, ut patet ex textibus citatis. Unde Tribus Juda supremam potestatem semper retinebat, sed illam per summos Pontifices tamquam ministros exercebat.

Quare Legati Jonathæ Romam missi ad fœdus cum Romanis innovandum, sic Senatum alloquuntur, l. 1. Machab. c. 22. *Jonathas summus Sacerdos, & gens Judæorum miserunt nos, ut renovaremus amicitiam, &c.* Certè si Jonathas Judæis præfuisset cum potestate independenti & primaria non facta fuisset merito gentis Judæorum. Primus autem Jonashas nominatur, quia exercebat summam potestatem Tribus Juda.

Inst. 2. Tunc temporis suprema potestas non erat magis penès Tribum Juda quàm in aliis Tribubus, quæ se illi adjunxerant.

Resp. Nego. Nam ad solam Tribum Juda pertinebat tota vel maxima ex parte regio quam Judæi post reditum è captivitate possederunt, cujus & civitas regia, & caput!, & sedes totius regionis erat Jerusalem urbs Tribus Judæ propria. Hæc quippe Tribus una & nominatim dimissa est libera ab Artaxerxe.

Quamvis

Quamvis autem multi Benjamitæ, & aliqui ex aliis Tribubus in patriam reversi fuissent; hi tamen pauci erant præ Judæis, & uni regno ac Tribui Judæ adscripti sunt, & quasi insiti, ita ut imperium in omnes uni soli Tribui Juda cesserit, quæ cæteris nomen & auctoritatem dedit, unde omnes Judæi seu Tribus Juda appellati sunt.

Inst. 3. Saltem hæc prophetia Jacob impleta non fuit in Jesu Filio Mariæ Virginis.

Resp. Nego. Nam sensus illius est, quòd paulò ante Nativitatem, vel paulò post mortem Messiæ sceptrum auferendum sit penitus è Juda: spatium enim 30. aut 40. annorum est breve & pro nihilo habendum respectu totius temporis, quo domus Juda à Davide sceptrum tenuit, quod quidem mille annos superat. Certum est autem regnum Judæorum penitus extinctum esse 40. annis post mortem Christi Jesu Filii Mariæ, cùm Urbs & Templum funditùs à Vespasieno & Tito diruta sunt.

Imò illud longè ante à Romanis obtinuit Herodes alienigena, quo regnante Christus natus est. Dico, *alienigena*; nam teste Josepho Judæo peritissimo Herodes erat origine Idumæus, & stirpe Chananæus. Unde erat Nicolaus Damascenus Herodi charus, & ejus adulator, cùm scribit eum origine Judæum fuisse.

Porro

Porro particula *donec* ſæpe in Scriptura ut hic etiam ſumitur latè & indeterminatè, nempe pro aliquo temporis intarvallo. Unde ad hujus vaticinii verificationem ſufficit, quod Jeſus natus ſit ſub Herode, ſub quo ſceptrum à Judæorum gente ablatum fuiſſe conſtat apud omnes.

Obj. 3. Danielis prophetia circa tempus adventus Meſſiæ non convenit Ieſu Filio Mariæ.

Reſp. Neg. Nam cum ea, quæ ibi prænuntiantur Meſſiæ mortem ſecutura, nempe Urbis ac Sanctuarii everſio, Templi profanatio, & totius gentis Iudaicæ deſolatio re vera contigerint aliquot annis poſt mortem Ieſu Filii Mariæ, & in eo etiam omnia alia ibi & in tota Scriptura de Meſſia prænuntiata impleta ſint; conſtat quoque eum tempore à Daniele prædicto advèniſſe & mortuum eſſe; quamvis ob incertitudinem veteris chronologiæ accurata temporis illius computatio difficilis ſit, & circa illam variæ ſint ſententiæ, quas hic referre non vacat, nec neceſſe eſt. Conſulantur hac de re Petavius, Pererius, & alii doctiſſimi Chronologi.

Dices. Illæ ſeptuaginta hebdomades forte tafſe ſunt dierum, non annorum.

Reſp. Neg. Nam certum eſt ea, quæ in prophetia continentur, non contigiſſe tam brevi ſpatio, quod eſt unius anni circiter cum dimidio. Hebdomadæ autem in Scriptura

ptura propriè dicuntur etiam de annis, ut patet ex Levit. c. 25. *numerabis tibi septem hebdomadas annorum.* Nec sunt ullæ aliæ in tota Scriptura præter illas nisi dierum.

Porro illæ hebdomadæ, quæ 490. annos faciunt, numerandæ sunt ab anno mundi 3528. quo exiit edictum de iterum ædificanda urbe Ierusalem, & sic desinunt in annum mundi 4018. qui est annus post Passionem Christi quartus, ita ut in medio ultimæ hebdomadæ, id est, anno tertio Christus occisus sit.

Dices. Hæc verba prophetiæ Danielis: *ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum .... & adducatur justitia sempiterna*: non sunt impleta in Jesu Filio Mariæ.

Resp. Neg. Nam illorum verborum sensus est, ut omne peccatum expietur ac deleatur, & præparentur gratiæ ad omne peccatum vitandum & sanctitatem æternam consequendam. Christus autem quantùm est ex parte sua omnia peccata expiavit, pro omnibus condignè satisfecit, omnibus electis sanctitatem semper duraturam tribuit, & omnibus aliis dat gratias sufficientes ad sanctitatem æternam consequendam. Unde in Christo hæc omnia impleta sunt.

Obj. 4. Prophetia Aggæi non convenit Iesu Filio Mariæ, nam 1. in ejus adventu cœlum & terra, mare, & omnes gentes non

commo-

commotæ ſunt 2. Ieſus ille non ingreſſus eſt ſecundum Templum: nam Hærodes illud deſtruxerat, & aliud conſtruxerat.

Reſp. Nego. Nam 1. Cœlum commotum eſt, cùm Angeli & ſtellæ Chriſti adventum annuntiarunt, & cùm ejus morte ſol & luna defecerunt; terra, mare & omnia elementa commota ſunt tùm per generalem terræ motum tempore Paſſionis, tùm per innumera miracula circa hæc omnia à Chriſto facta: gentes quoque commotæ ſunt, per Evangelii prædicationem, per horrendam ubique martyrum ſtragem, & per ſuam ad verum Deum converſionem. Hærodes Templum ſecundum omninò & à fundamentis non deſtruxit, ſed dumtaxat quoad aliquam partem, ita ut cenſeretur idem Templum. Quare, Ioann. c. 2. Iudæi dicunt: *quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* per Templum hoc intelligunt Aggæi tempore extructum, nam teſte Ioſepho, lib. 13. c. 13. tota Hærodis ædificatio octo annis abſoluta eſt.

ARTICULUS IV.

Utrùm Jeſus-Chriſtus Filius Mariæ ſit verus Deus?

NOta. Chriſti divinitatem negarunt, eumque purum hominem eſſe docuerunt.

1. Car-

1. Carpocrates, Cerinthus, & Ebion tempore Apostolorum, contra quos Evangelium suum scripsit Ioannes Evangelista. 2. Theodoretus Byzantius arte cariarius. 3. Paulus Samosatenus, Antiochenus Episcopus; contra quem duo Concilia Antiochiæ celebrata sunt: in primo errorem confessus, veritatem Catholicam agnovit, ideoque sedem suam retinuit, qua in secundo expulsus est ob relapsum in eamdem hæresim. 4. Photinus Sirmiensis Episcopus, in Concilio Sirmiensi damnatus & sede ejectus. 5. Theodorus Mopsuestenus sub Imperatoribus Arcadio & Theodosio juniore, à Synodo quinta generali postea damnatus sub Iustiniano. 6. Nestorius sub Theodosio juniore, in Concilio Ephesino damnatus. 7. Denique Sociniani hujus temporis. His adde Arium, qui negavit divinitatem secundæ personæ Trinitatis.

Dico. Iesus-Christus Filius Mariæ est verus Deus. Est de fide, & primarium religionis Christianæ fundamentum.

Prob. Contra hæreticos. 1. Auctoritate Novi Testamenti quod admittunt, Rom. c. 9. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* Philipp. c. 2. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exina-*

exinanivit, formam servi accipiens. Ubi per formam intelligitur natura, quare sensus est: Christus cùm naturam divinam haberet, non rapinam arbitratus est: se facere æqualem Deo, nempe cùm dixit, *Ego & Pater unum sumus*; sed seipsum exinanivit assumendo naturam servi, nempe naturam humanam. Ioann. c. 1. *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum .... Verbum caro factum est.* Ergo Verbum caro factum, est verus Deus. At Christus est Verbum Caro, seu homo factum, ergo est verus Deus. 1. Ioann. c. 3. *in hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Ioan. c. 16. Christus ait: *omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Certè qui habet omnia quæ habet verus Deus, is est unus Deus, nam habet etiam divinitatem. Sed Christus asserit se habere omnia quæ habet verus Deus: ergo asserit se esse verum Deum: ergo est verus Deus, nam ejus testimonium verum esse fatentur ipsi hæretici, qui Novum Testamentum admittunt.

Præterea in Scriptura Dei attributa, & opera Dei propria Christo tribuuntur, ut æternitas, omnipotentia, creatio, conservatio, &c. ut Io: c. 17. *clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate quam habui prius quàm mundus esset apud te.* Apoc. c. 4. *Sanctus, sanctus,*

ctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. 1. Cor. c. 8. *unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Ioan. 1. *omnia per ipsum facta sunt..* Heb. c. 1. *portans omnia verbo virtutis suæ.* & Col. c. 1. *omnia in ipso constant.*

Prob. 2. Ex traditione; cujus testes sunt Patres. Ex iis, qui ante Concilium Nicænum 1. scripserunt, sufficiant.

Primò sæculo S. Ignatius Martyr in sua ad Ephesios epistola ait: *Unus Medicus est, carnalis & spiritualis, genitus & ingenitus in carne factus Deus in immortali vita vera, ex Maria, & ex Deo, primò passibilis & tunc impassibilis, Dominus Christus noster.* Et epistol. ad Smirnenses: *glorifico Iesum-Christum Deum, qui sic vos sapientes fecit.*

Secundo sæculo S. Iustinus Martyr, in cohortatione ad Græcos de Filio Dei Homine facto ait: *qui cum Dei sit Verbum, virtute ac potentia ab eo* (Deo Patre) *indiscretum, homine . . . . assumpto, ad memoriam nos priscorum parentum Religionis revocavit.* Et in Apol. 2. *qui quòd Verbum & primogenitus Dei sit, Deus etiam est.* S. Irenæus, l. 3. adversus hæreses, c. 18. *prævidens Spiritus-Sanctus depravatores, & præmuniens contra fraudulentiam eorum, per Matthæum ait: Christi autem generatio sic erat; & quoniam hic est Emmanuel, ne fortè tantùm eum hominem putaremus; non enim ex volunta-*

te carnis; neque ex voluntate viri, ſed ex voluntate Dei Verbum caro factum eſt; neque alium quidem Ieſum, alterum autem Chriſtum ſuſpicaremur fuiſſe, ſeu unum & eumdem ſciremus Deum eſſe.

Tertio ſæculo S. Dionyſius Alexandrinus, in epiſtola contra Paulum Samoſatenum ſcripta. *Filius Dei, qui eſt Verbum Chriſtus hæres, mortuus eſt: quomodo ais tu hominem eſſe eximium Chriſtum, & non re vera Deum, & ab omni creatura cum Patre & Spiritu-ſancto adoratum, incarnatum ex S. Virgine & Dei-para Maria? Propter nos enim voluit naſci ex muliere: unde & Paſſionem pro nobis ſuſcepit . . . . unus eſt Chriſtus, qui eſt in Patre, coæternum Verbum, una ejus perſona, Deus inviſibilis & viſibilis factus. Deus enim apparuit in carne, natus ex muliere, qui erat ex Deo Patre genitus ex utero, &c.* Clemens Alexandrinus, in admonitione ad gentes. *Hic ergo Verbum Chriſtus, & ut nos olim eſſemus, erat enim in Deo, & ut bene eſſemus, cauſa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipſe Verbum, qui ſolus eſt ambo Deus & homo.* Patres Concilii Antiocheni, I. in cauſa Pauli Samoſateni anno 266. celebrati in ſua ad eumdem Paulum epiſtola ſic ajunt: *Filium qui eſt apud Patrem, Deum quidem & Dominum omnium creaturarum dicit* (Apoſtolus) *à Patre autem miſſum de Cœlis, & carne aſſumpta, factum eſſe hominem. Quamob-*

rem

rem corpus ejus ex Virgine sumptum, in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitavit, divinitati immutabiliter unitum & deificatum est. Quæ de causa idem Deus & homo Iesus Christus prophetabatur in lege & Prophetis, & ab omnibus in Ecclesia, quæ sub Cælo est, creditus est Deus. Iidem Patres cum aliis pluribus in secundo Concilio Antiocheno contra eumdem Samosatenum, anno 282. celebrato, idem docent, in sua Synodica epistola ad Dionysium Romanum Pontificem, & omnes orbis Christiani Episcopos scripta.

Tertullianus, in Apologetico, c. 21. de verbo dicit: *Hunc logon ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei & Deum dictum ex unitate substantiæ .... iste igitur Dei radius, ut retro semper prædicabatur, delapsus in Virginem quamdam, & in utero ejus caro figurata, nascitur homo Deo mixtus, caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, & Christus est.* S. Cyprianus Martyr, lib. quod idola Dii non sint, ait: *Filius dei mittitur ... hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus, & gloria; hic in Virginem inlabitur, carnem Spiritu-sancto cooperante induitur, Deus cum homine miscetur: hic Deus noster, hic Christus est.*

Ex Patribus autem qui post Concilium

Nicænum

Nicænum I. floruerunt, sufficiant S. Athanasius, l. de Incarnat. contra Apolinarem. *Perfectus Deus & perfectus homo Christus.* S. Gregor. Nazianz. in orat. de Nativitate Christi: *Hoc autem erat ipse Dei Filius, seculis prior, ille invisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium .... humana omnia, excepto peccato, suscipit, conceptus quidem ex Virgine.*

S. Ambrosius, l: de Incarnationis Sacramento, c. 5. *adversus omnes otamen* (hæreticos) *generalis est ista fides, quia Christus est Dei Filius, & sempiternus ex Patre, & natus ex Virgine.* Et l. 1. in cap. 2. Lucæ, *in principio, inquit,* (Joannes) *erat Verbum, habes quando erat ... habes etiam quid erat: & Deus, inquit erat Verbum ... quomodo venerit: Verbum caro factum est.*

S. Augustinus, epist. 3. seu 2. ad Volusianum, *Verbum igitur Dei, idemque Dei Filius Patri coæternus, eademque virtus & sapientia Dei ... nusquam conclusa ... sed sine mole ubique tota longè alio modo quodam, quàm eo, quo creaturis cæteris adest, suscepit hominem, seque & illum fecit unum Jesum-Christum mediatorem Dei & hominum, æqualem atri secundùm divinitatem, minorem autem Patre secundùm carnem, hoc est, secundùm hominem; incommutabiliter immortalem secundùm æqualem Patri Divinitatem, eumdemque mutabilem atque*

mortalem secundùm cognatam nobis infirmitatem.

S. Leo, serm. 1. de Nativ. *Verbum igitur Dei Deus, Filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, propter liberandum hominem ab æterna morte factus est homo, ita se ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutione suæ Majestatis inclinans, ut manens quod erat, assumens que quod non erat veram servi formã ei formæ, in qua Deo Patri est æqualis, uniret.*

Prob. 3. Ex Conciliis generalibus, 1. Ex Conc. Nicæno I. in Symbolo, ubi ait: *credimns in unum Deum, Patrem omnipotentem . . . & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, ex Patre natum unigenitum, id ex substantia Patris, Deum de Deo, Deũ verum ex Deo vero: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus.* 2. Ex Constantinopolitano I. & Ephesino confirmantibus Symbolum Nicænum. 3. Ex Chalcedonensi, act. 5. in definitione fidei, ubi postquam idem Symbolum confirmavit, sic ait: *unum eumdemque confiteri Filium & Dominum nostrum Jesum Christum, consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, & eumdem perfectum in humanitate Deum verum & hominem.* 4. Ex Conc. Constantinopol. II. Can. 2. & Constantinopol. III. actione 18. ubi ait: *definientes Dominum nostrum Jesum-Christum, verum Deum nostrum . . . perfectum*

fectum in Deitate, & perfectum eumdem in humanitate, Deum *verè, & hominem verè, eumdem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundùm Deitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem, per omnia similem absque peccato, &c.* 5. Ex. Conc. Nicæno II. Nicænum Symbolum suscipere se profitente, & Constantinopolitano IV. actione 10. ubi ait: *Confitemur unicum* Dei *Verbum Incarnatum, & factum fuisse propter nos secundùm nos: non enim Angelus, non legatus, sed ipse* Dominus *venit, & salvavit nos, & nobiscum factus est Emmanuel: & iste erat* Deus *verus*, Deus *Israel, & omnium Salvator . . . duplicem docentes unum eumdemque Christum &* Dominum, Deum *scilicet perfectum & hominem perfectum in una persona.* 6. Ex Conc. Lateranensi IV. cap. *firmiter*, & ex Conc. Trident. sess. 3. approbante & confimante Symbolum fidei quod in missa legitur.

Objectiones solutæ sunt in tractatu de Trinitate. cap. 1. art. 3. p. 342.

ARTICULUS V.

Utrùm Jesus-Christus Filius Mariæ sit verus homo?

N*Ota.* Hæretici variè errarunt circa Christi humanitatem. Nam Simon Magus, Cerdon, Marcion, Manes, Manichæi & Priscillianistæ docuerunt Christi Corpus

non fuisse verum Corpus carneum, sed apparens tantùm & phantatiscum. Valentinus autem, Apollinaris, & Appelles asserebant Corpus Christi è Cœlo delatum fuisse, formatum ex materia Area vel Syderea, & per uterum Virginis tamquam per canalem transmissum. Aliqui verò, videlicet Apollinaris, Apollinaristæ, Eunomius, & Ariani dixerunt Verbum non assumpsisse animam humanam, sed Verbum fuisse Christo pro anima rationali, seu mente.

Dico Jesus-Christus est verus homo. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scrip. Joann. c. 8. Christus ait: *Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum.* Et ipse in Evangelio passim se dicit Filium hominis. 1. Tim. c. 2. *Unus Mediator Dei & hominum homo Christus-Jesus.* At homo simpliciter est verus homo.

2. Ex Symbolo Apostolorum, ubi de Christo dicitur: *Qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex Maria Virgine, passus, crucifixus, mortuus & sepultus .... Tertia die resurrexit à mortuis.*

3. Ex Symbolo Nicæno à multis aliis Conciliis expresse recepto & confimato, in quo de Jesu-Christo Filio Dei Unigenito & vero Deo dicitur: *Incarnatus est, & homo factus.* Item ex aliis Conciliis suprà laudatis,

datis, & speciatim ex Calcedonensi, actione 5. & Chonstantinopolitano II. can. 2. ubi Christus dicitur *perfectus in Deitate & perfectus in Humanitate, Deus verus & homo verus.*

4. Ex Patribus omnibus, qui passim hanc Fidei veritatem tradunt, & speciatim ex Patribus suprà laudatis docentibus Christum esse Deum simul & hominem.

5. Quia alioqui Christus non potuisset satisfacere Deo pro peccatis hominum, nec gloriam ejus reparare per Passionem ac Mortem suam, & per omnia virtutum exempla.

Dico 2. Filius Dei, seu Verbum assumpsit verum corpus humanum, & animam rationalem. Est de fide.

Prob. 2. Quia Christus, Filius Dei est verus homo, ut probatum est. Sed verus homo habet verum corpus humanum, & animam rationalem, ut per se patet: nam hæ partes Physicam hominis essentiám constituunt. Ergo Christus Filius Dei habet verùm corpus, &c.

Prob. 1. Ex Conciliis suprà citatis, & speciatim ex Lateranensi IV. c. 1. ubi dicitur: *Unigenitus Dei Filius Jesus-Christus à tota Trinitate communiter Incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus-sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compositus, una in*

 duabus

duabus naturis persona viam vitæ manifestiùs demonstravit.

Prob. 3. Quia Christus elicuit operationes humanas, quæ utramque partem veram xigunt. Nam Scriptura asserit Christum manducasse, dormivisse, flevisse, fatigatum fuisse ex itinere, esurivisse, se ipsum turbavisse, passum & mortuum fuisse, ac tandem resurrexisse: quæ quidem actiones neque animæ soli, neque corpori soli aut phantastico, sed solùm animæ & corpori veris inter se unitis convenire possunt.

Prob. 4. Propositio per partes sigillatim. Et 1. quidem quód Christus habuerit verum corpus, patet ex Scriptura, Joann. c. 1. *Verbum caro factum est.* Luc c. ult. *Videte manus meas & pedes, quia ipse sum: paltate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere.* Rom. c. 1. dicitur de Filio Dèi, *qui factus est ei ex Semine David secundùm carnem.* Gal. c. 4. *misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Et verò si Christus verum corpus non habuisset, perpetua simulatione illusisset hominibus, eosque decepisset.

Prob. Speciatim 2. pars, quòd nempe Christus habuerit veram animam rationalem & humanam 1. ex Matth. c. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem,* nempe propter innumerorum hominum reprobationem,

onem, & propter inſtantem crudeliſſimam ignominioſiſſimamque mortem. Talis autem triſtitia cadere non poteſt niſi in animam rationalem, utpote rerum Spiritualium apprehenſivam, & futurorum præſciam. Luc. c. 23. *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.* Et Joan. c. 19. *& inclinato capite tradidit Spiritum.* 2. ex Conc. Romano III. ſub S. Damaſo præſide, quod Anathematiſmo 7. ſic ait: *Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationali & intelligibili dicunt Dei Verbum in humanâ carne verſatum cùm ipſe Filius ſit Verbum Dei, & non pro anima rationali & intelligibili in ſuo corpore fuerit, ſed noſtram, id eſt rationalem & intelligibilem ſine peccato animam ſuſceperit.* Et ex Conc. quinto generali, can. 4. anathematizante eos, *qui non confitentur Unitatem Dei Verbi ad carnem, animatam anima rationali & intellectuali, ſecundùm compoſitionem ſive ſecundùm ſubſiſtentiam factam eſſe.* 3. Ex Patribus, pro omnibus ſit S. Auguſtinus, Tract. 49. in Joann. ubi ait: *Verbum enim animam ſuſcepit & carnem, totius hominis ſibi cooptans in perſonæ Unitate naturam.* 4. Ratione. Nam ſi Verbum eſt anima Chriſti, Verbum eſt forma ſubſtantialis, eſt pars, eſt ens incompletum; item Verbum in ſe paſſum eſt: nam Chriſtus verè paſſus eſt, & corpus ſolum anima humana deſtitutum, omnis doloris ac ſenſatio-

nis incapax est. Hæc autem omnia Deo repugnant.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Angelus Gabriel, licèt non esset vir proprie, tamen Daniel. c. 9. vocatur vir, quia apparuit sub specie viri. Ergo Christus dici potuit homo, quia sub specie humana visus est licèt re ipsa non esset homo.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quia Christi Humanitas tam claré exprimitur in Scriptura, ut vox *homo* ei attributa intelligi non possit nisi propriè: nempe de Christo dicitur, quòd conceptus ac natus sit de Virgine Maria, quòd sit Filius hominis & ex Semine David, quòd passus & mortuus sit. Præterea Scriptura loqui debuit propriè, non figuratè, in declarando Mysterio Incarnationis, quod est primarium Religionis fundamentum.

Obj. 2. Angeli sæpe apparuerunt in specie humana, nec tamen inde sequitur eos fuisse verè homines. Ergo à pari, &c. *Resp.* Nego conseq. Disparitatis ratio est, quia hi Angeli brevi tantùm tempore in specie humana apparuerunt, nec aliquid hominis proprium sibi adscripserunt. At Christus plurimis annis cum hominibus conversatus est; & Scriptura multa ei attribuit quæ soli vero homini convenire possunt,

sunt,

ſunt, nempe Conceptionem & Nativitatem ex Virgine, Paſſionem, Mortem & Reſurrectionem.

Obj. 3. Illud, 2. Cor. c. 5. *Et ſi cognovimus ſecundùm carnē Chriſtum: ſed nunc jam non novimus.*

Reſp. Senſus eſt: & ſi olim gloriabar Chriſtum carnali generatione eſſe Judæum & ex eodem mecum genere; nunc jam Chriſtum tantùm noſco ſecundùm Spiritum, hoc eſt, ut auctorem gratiæ & ſalutis.

Obj. 4. Ad Pil. c. 2. dicitur de Chriſto: *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Ergo Chriſtus erat tantùm homo apparens.

Reſp. Nego conſeq. Nam ſenſus eſt: Chriſtus, qui cùm in perſona Verbi eſſet ſua natura verus Deus, ſe ultrò abjicit aſſumendo naturam ſervi, factus hominibus ſimilis ſubſtantialiter ſcilicet ac ſpecificè, ſicut homines dicuntur inter ſe ſimiles ſpecie, ſeu natura humana, atque ſpecie & actionibus ſuis videri voluit ut homo verus, qualis re ipſa erat, quamvis tamen ſimul eſſet verus Deüs. Quare in hoc textu forma naturam ſignificat, & ea ſimilitudo eſt ſpecifica in natura, qualis eſt inter individua ejuſdem ſpeciei, non verò ſimulata & apparens tantùm.

Obj.

Obj. 5. Joann. 1. Verbum dicitur caro factum, ergo non assumpsit animam rationalem.

Resp. Nego conseq. Nam (ut ex aliis Scripturæ locis constat) caro hic significat hominem, per Synecdochen accepta parte pro toto, quod in Scriptura frequens est, ut, Genes. cap. 6. *Omnis caro corruperat viam suam.* Et Luc. c. 3. *videbit omnis caro salutare Dei.*

Porro Verbum dicitur caro factum; tùm ad ostendendam veritatem Incarnationis contra Hæreticos negantes verum corpus à Verbo assumptum fuisse; tum ad declarandam magnitudinem charitatis Dei erga homines, qui tam vilem carnis naturam ad illos redimendos assumpserit; túm ad indicandum Deum suscepisse naturam passibilem cum infirmitatibus nostris.

Dcias. Hoc Mysterium dicitur Incarnatio, ergo non est Inhumanatio.

Resp. Nego conseq. Nam Incarnatio hic idem est ac Inhumanatio, & significat totius humanitatis constantis ex anima & corpore unitis assumptionem à Verbo factam in Unitate personæ, ut constat ex Scriptura & Traditione, quamvis hæc appellatio derivetur ex carne, sed accepta pro tota humanitate. Hinc illud S. Augustini, Epist. 120. *More suo Scriptura, ut Christi humi-*

humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignum aliquid refugisse videretur, carnem pro homine posuit. Neque enim quia scriptum est, videbit omnis caro salutare Dei, animæ ibi non sunt intelligendæ.

ARTICULUS VI.

Utrùm Verbum assumpsit corpus ex Maria, quæ semper fuerit Virgo?

§ I.

DIco 1. Verbum assumpsit corpus humanum ex Maria Virgine. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scrip. Luc. 1. Angelus Mariæ dixit: *Ecce concipies in utero, & paries Filium & vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur .... Spiritus sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et Matth. 1. *Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.*

2. Ex Symbolo Apostolorum suprà citato, & ex Symbolo Constantinopolitano, in quo dicitur: *Et Incarnatus est de Spiritu-sancto, ex Maria Virgine:*

3. Ex Conciliis Generalibus suprà laudatis, & speciatim ex Ephesino, à quo approbata est Cyrilli ad Nestorium Epistola, in qua dicitur: *Non dubitarunt (Sancti Patres) Sacram Virginem Dei-param appellare: non quòd*

Verbi

Verbi natura, ipsiusve Divinitas ortus sui principium ex Sancta Virgine sumpserit; sed quòd Sacrum illud corpus anima intelligente perfectum, ex ea traxerit, cui & Dei Verbum secundùm Hypostasim unitum, secundùm carnem natum dicitur. Et ex Nicæno II. in definitioni Fidei, ubi dicitur: *Confitemur autem & Dominam nostram Sanctam Mariam propriè ac veraciter Dei Genitricem, quoniam peperit carne unum ex Sancta Trinitate, Christum videlicet Deum nostrum.*

Accedit unanimis Patrum consensus.

Obj. 1. Illud, 1. Cor. 5. c. 1. *Primus homo de Terra, Terrenus: secundus homo de Cœlo, Cœlestis.*

Resp. Secundus homo, nempe Christus, dicitur Cœlestis & de Cœlo venisse secundùm Personam Divinam, non secundùm Humanitatem: nam ille secundus homo, Christus est Persona Divina subsistens in duabus naturis, Divina & Humana. Igitur propter Unitatem Personæ secundus homo dicitur de Cœlo venisse, quia Persona Diuina Verbi assumendo Humanitatem, verè ac propriè est & dicitur homo.

Obj. 2. S. Hilarium, l. 10. de Trinit. n. 16.

Resp. Ibi solùm vult Mariam Corpus Christi ex commercio viri non genuisse, sed operante Spiritu-sancto, Christi Corpus ex purissimo Mariæ sanguine efformante; ut ex contextu patet.

§. II.

§. II.

Dico 2. Maria Mater Jeſu-Chriſti fuit ante partum & in partu Virgo, & poſt partum ſemper manſit Virgo. Eſt de fide contra Jovinianum, qui quarto ſæculo docuit Mariam Dei Genitricem, quamvis in Conceptione Virgo permanſerit, in partu integritatem amiſiſſe: & contra Helvidium, qui eodem ſæculo aſſeruit B. Mariam poſt Chriſti Nativitatem ex S. Joſepho liberos ſuſcepiſſe.

Prob. 1. Ex Concilio ſexto Generali, actione 11. definiente, quòd Mariæ Virginitas ante partum, in partu, & poſt partum intemerabilis ſit.

Prob. 2. per partes. Nam 1. Maria ante partum & in partu eſt Virgo. Patet tùm ex Iſai. c. 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*; tùm ex Symbolis; Apoſtolico, in quo dicitur Chriſtus *natus ex Maria Virgine*; & Conſtantinopolitano, in quo dicitur: *& Incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine.*

2. Maria Mater Dei nunquam virum cognovit, ſed ſemper permanſit Virgo poſt partum.

Prob. 1. Ex illo, Luc. c. 1. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quibus verbis

verbis B. Maria indicat se perpetuam Virginitatem Deo vovisse. *Profectó* (: ait S. Augustinus, l. de S. Virginitate, c. 4. :) *Non diceret, quomodo se istud, quoniam virum non cognosco, nisi Deo Virginem se ante vovisset.*

2. Ex perpetua Traditione. Nam Helvidii error tamquam Fidei contrarius statim damnatus fuit à SS. Patribus; ut Hieronymo, lib. contra Helvidium; Ambrosio, Epist. 81. ad Siricium Papam nomine Concilii Mediolanensis; Epiphanio, Hæresi 78. Augustino, Heresi 84. Damasceno, lib. 4. c. 15. &c: Et à summis Pontificibus, Siricio in Concilio Romano; & S. Martino I. in alio Concilio Romano.

Obj. 1. Isaias loco citato solùm significat Virginem, quæ virum non cognoverit usque ad conceptum.

Resp. Nego. Nam 1. Isaias dicit, *Virgo pariet.* 2. Hoc ut inauditum aliquod prodigium ac miraculum prædixit Regi Achaz his verbis: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo . . . Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et hoc signum vocat Jeremias novum, *creavit* (inquit, cap. 31.) *Dominus novum super terram: Fœmina circumdabit virum.* Adde Traditionem Patrum sic hunc locum explicantium.

tium. Unde Justinus & Tertullianus ineptam hanc Judæorum responsionem irriserunt.

Dices. Hæc Prophetia intelligi non potest de Messia, nam alioqui datum esset Regi Achaz signum, quod ipse videre non poterat.

Respondet sanctus Chrysostonus non datum fuisse etiam signum illud Achaz, sed domui David, quæ ad Christum usque permansura erat. Nam cum Achaz ex contemptu petere noluisset signum quod Isaias obtulerat, Propheta orationem suam convertit ad domum David his verbis: *Audite ergo domus David . . . . Ecce Virgo concipiet & pariet Filium.* Quasi dicat, quia vos signum petere negligitis, ipse Dominus ultró dabit, non jam quale Regi obtuli, fore ut Deus populum suum à Rege Assiriorum liberet, sed aliud longè majus, fore ut liberet eum à peccatis. Et sic à majore probat minus. Ita Maldonatus.

Obj. 2. In Evangelio multi dicuntur fratres Christi.

Resp. Fratrum nomine intelliguntur consanguinei Christi more Judæorum: sic Abraham & Loth vocantur fratres, Genes. 13.

Obj. 3. Matth. c. 1, de Josepho dicitur: *& non cognoscebat eam donec peperit Filium*

lium suum primogenitum. Ergo Maria habuit alios filios post Christi ortum.

Resp. Nego conseq. Nam sensus est, quód Maria neminem ante Christum genuerit: primogenitus enim in Scriptura dicitur is omnis ante quem nemo natus est, quamvis sit Unigenitus. Sic sapientia æterna dicitur primogenita licet sit unigenita; & Exodi, c. 13. omnia primogenita jubentur Deo donari, ubi certè etiam unigenita intelliguntur.

Voces autem *donec*, *usquedum*, *antequam*, & similes significant tantùm quid antea factum, vel non factum sit, non veró quid postea. Sic Psalm. 109. *sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Apoc. c. 2. *id quod habetis, tenete donec veniam.* Et 2. Reg. c. 6. *Michol filia Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.*

Porro vox *mulier* significat sexum, non conditionem, aut qualitatem sexus, ut rectè notat Tertullianus. Sic Eva statim à sua creatione & antequam à viro cognosceretur, mulier appellata est. Gens. c. 2.

ARTICULUS VII.

Utrùm unica sit in Christo persona?

N*Ota.* Nestorius è Syria oriundus, Episcopus Constantinopolitanus circa annum 429. docuit Christum fuisse Templum Dei,

Dei, non Deum, Hominem Deiferum, non Hominem-Deum; Virginem Mariam non esse Dei-param, sed solùm Christi-param; unionem Verbi cum natura humana factam non fuisse secundùm hypostasim, sicut post unionem una sit persona quæ sit Homo simul & Deus, unus Christus, idem Deus simul & Homo; proindeque hanc unionem non esse physicam & substantialem, sed solùm accidentalem & moralem, ita ut post unionem sint duæ in Christo personæ divina scilicet & humana, divina inhabitans, & humana inhabitata.

Quadruplicem autem unionem accidentalem & moralem inter Verbum & humanitatem admittebat: videlicet unionem habitationis, quatenus Verbum habitaret in homine tanquam in Templo; unionem amoris quatenus homo in Christo per gratiam sanctificantem eximiam esset unum quid cum Verbo, moraliter duntaxat, sicut duo amici dicuntur esse quid unum; unionem operationis, quatenus Verbum in Christo utebatur homine ut instrumento ad eximia opera; unionem denique cujusdam communicationis moralis, quatenus Verbum communicabat dignitatem & excellentiam suam homini: nam volebat propter hanc conjunctionem accidentalem & moralem Christum simul com Verbo esse adorandum, conglo-

 rificandum,

rificandum, & Deum cognominandum; quamvis tamen Chistus esset purus homo. Unde juxta Nestorium Verbum non fuit incarnatum nisi secundùm inhabitationem, dignitatem & affectum voluntatis: sicqe Hæresiarcha ille Incarnationis mysterium prorsus evertebat. Ita sensisse Nestorium patet ex ejus scriptis, tom. 3. Conciliorum Labbæi. Hanc autem impiam doctrinam hauserat Nestorius à Theodoro Mopsuesteno Episcopo.

§. I.

Dico. Unica est in Christo persona; quæ simul est Deus & Homo. Sive (: quod idem est :) Verbum sic assumpsit naturam humanam, ut divinitas, corpus & anima in unam personam coaluerit. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Rom. c. 9. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Ergò idem Christus, qui est homo, est etiam Deus verus. Ergo eadem Christi persona est Deus & Homo. Ergo in Christo unica est persona, quæ simul est Deus & Homo. 1. Joan. 1. cap. 1. 3. *cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Ubi enuntiatur de Deo, quòd sit mortuus; quod verum esse non potest, nisi eadem persona quæ est homo & mortem subiit, sit eti-

am Deus: nam pronomen *ille* designat personam, Joann. c. 1. *Verbum caro factum est*, id est, Verbum factum est Homo. Ergo eadem persona est Deus & Homo: Nam Verbum non desiit esse Deus per hoc quòd factum est Homo. Joann. c. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Ubi vox *Ego* demonstrat personam loquentis, quæ sibi divinitatem attribuit. Sed persona ibi loquens est persona Christi, nam Christus ibi de se loquitur Ergo persona Christi sibi divinitatem attribuit. Ergo persona Christi Deus est. Atqui persona Christi est etiam Homo: nam persona Christi est Christus ipse, qui est Homo. Ergo persona Christi est simul Deus & Homo: ac proinde in Christò eadem persona est Deus & Homo, & sic in Christo unica est persona, quæ simul est Deus & Homo. Item, ad Phil. c. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Chisto Jesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, &c.* Ergo Verbum verus Deus seipsum exinanivit uniendo se naturæ humanæ. At si unio Verbi cum humanitate in Christo esset tantùm secundùm inhabitationem, affectum voluntatis, & dignitatis communicationem, ideoque solùm accidentalis & moralis, illa unio dici non posset exinanitio, nec esset verè Incarnatio.

Ergo hæc unio non est accidentalis & moralis, sed est personalis seu facta secundùm personam, ita ut ex illa resultet una persona subsistens in duabus naturis divina & humana, unus Christus qui simul est Deus & homo.

Prob. 2. Ex Symbolis fidei; nam de Filio Dei unico & vero Deo dicitur in Symbolo Apostolico, *qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex Maria Virgine, passus, &c.* Et in Nicæno ac Constantinopolitano: *qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & Homo factus, passus, &c.* Quæ omnia falsa sunt, si eadem persona non est Deus & homo, & si persona Verbi non est persona hominis, ex Virgine nati, passi, &c. ita differit S. Thomas, opusculo 2. cap. 203. ubi ait: *Non enim ea quæ sunt hominis; de Filio Dei prædicarentur, nisi eadem esset persona Filii Dei & Hominis; quia ea quæ uni personæ conveniunt, non ex hoc ipso de altera predicantur. Sicut quæ conveniunt Paulo, non ex hoc ipso prædicantur de Petro.*

Accedit Symbolum Athanasianum, in quo dicitur: *Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur quia Domius noster Jesus-Christus Dei Filius, Deus & Homo est... qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus... unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.* Prob.

Prob. 3. Ex unanimi Patrum consensu hic sufficiant.

S. Iræneus; capiti 17. libri tertii adversus hæreses hunc præfigit titulum: *ostensio quoniam unus & idem, & ipse Deus Christus Verbi sit Dei.*

S. Athanasius, epist. ad Epictetum. *Quomodo Christiani hominis appellationem usurpare non verentur, qui Verbum in hominem sanctum perinde atque in aliquam Prophetarum descendisse asserunt, & non ipsum, sumpto ex Maria corpore, hominem factum; sed alium Christum, alium rursùm esse Dei Verbum, qui ante Mariam & sæcula erat Filius Patris?* Et. l. de Incarnat. Christi. *In ipso nomine* (: Christi :) *quod unum est, utraque natura significatur & divinitatis & humanitatis, ideoque Christus & Deus dicitur, & unus est Christus.*

S. Ambrosius, l. 2. de fide, c. 4. *unus in utraque* (divinitate & humanitate) *loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est.*

S. Hieronymus, epist. ad Hebidiam, q. 9. |*Hæc dicimus, non quòd alium Deum, alium hominem esse credamus, & duas personas faciamus in uno Filio Dei, sicut nova hæresis calumniatur; sed unus atque idem Filius Dei & Filius hominis est.*

S. Augustinus, in Enchiridio, c. 35. *Christus Jesus Dei Filius, est & Deus & Homo.*

Deus ante omnia sæcula. Homo in nostro sæculo. Deus; quia Dei Verbum: Homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis & caro.

Prob. 4. Ex Conciliis generalibus, Nicæno I. & Constantinopolitano I. in Symbolis, Ephesino, quod Nestorium ut hæreticum & ejus doctrinam ut hæreticam damnavit, eumque Episcopali dignitate privavit; nam, actione 1. *Sancta Sydonus dixit: cùm præter cætera impiissimus Nestorius neque nostræ citationi parere; neque sanctissimos Episcopos à nobis destinatos admittere voluerit, non potuimus ad eorum quæ impiè docuit examinationem animum non adjungere. Deprehendentes itaque partim ex literis commentariisque ipsius, partim è sermonibus, quos nuperrimè in hac Ephesiorum Metropoli habuit, quique testimoniis comperti sunt, illum impiè sentire & prædicare: coacti per sacros Canones & epistolam sanctissimi Patris nostri & comministri Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessariò venimus. Igitur Dominus noster Jesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc Synodum eumdem Nestorium Episcopali dignitate privatum, & ab universo Sacerdotum consortio & cœtu alienum esse definit.*

Chal-

Chalcedonensi, actione 5. ubi ait: *Sequentes igitur sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium & Dominum nostrum Jesum-Christum, consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum . . . ante sæcula quidem de Patre genitum secundùm deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos & propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundùm humanitatem . . . nusquam sublata differentia naturam propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ & in unam personam atque subsistentiam concurrente: non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque filium, & unigenitum Deum Verbum, Dominum Jesum-Christum.*

Constantinopolitano III. actione ultima in sua definitione verba Concilii Chalcedonensis citata adhibente.

Nicœno II. actione 7. sic definiente: *Confitemur autem & Dominam nostram Sanctam Mariam propriè ac veraciter Dei Genitricem: quoniam peperit carne unum ex Sancta Trinitate, Christum Deum nostrum, secundùm quod & Ephesinum priùs dogmatizavit Concilium, quod impium Nestorium cum Collegis suis tanquam personalem dualitatem introducentem, ab Ecclesia pepulit.*

His adde Conc. Later. IV. c. & 1.

Tri-

Tridentium, sess. 3. recipienò & confirmans Symbolum Constantinopolitanum, quod in Missa legitur.

Prob. 5. Ratione Theologica. Christus est verè Deus & homo, ut suprà ostensum est. Ergo Persona Christi est verè Deus & homo, nam Christus est Persona Christi. Ergo eadem Persona in Christo est Deus & homo. Ergo non est alia Persona, Dei, & alia Persona hominis in Christo, sed unica est. Et verò si alia est Persona Dei, & alia Persona hominis, Christus non est Deus, sed purus homo.

§. II.

Solvunrur objectiones.

Obj. 1. Illud Coloss. c. 2. *In ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Ergo in Christo sunt duo supposita diversa, sicut habitaculum & ille qui inhabitat, &c.

Resp. Nego conseq. Nam textus objecti sensus est, quod in Christo secundùm humanitatem spectato omnis plenitudo Divinitatis inhabitat realiter ac substantialiter, per Unionem scilicet substantialem Divinitatis cum humanitate in Verbi persona. Sic anima dicitur habitare in corpore cui unitur substantialiter. Et in hoc sensu Christus de suo corpore dixit, *solvite Templum hoc.*

Obj. 2. Illud, Phil. c. 2. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.*

Resp. Sensus est, quòd Filius Dei factus similis hominibus substantialiter per unionem scilicet substantialem cum natura humana, talis visus sit secundùm exteriorem figuram quales sunt puri homines, cum tamen esset singulariter Deus homo. Nam vox *habitus*, ibi significat figuram exteriorem, vel conditionem seu statum hominis.

Obj. 3. Aliqui Patres dicunt 1. humanitatem instrumentum esse Divinitatis. 2. Verbum assumpsisse hominem. 3. S. Basilius, in Psalm. 59. vocat Christum Deiferum.

Resp. Ad. 1. Humanitas Christi vocatur instrumentum Divinitatis, sed conjunctum conjunctione substantiali: ex qua resultat Unitas personæ in duabus naturis. Sic corpus est instrumentum animæ, huic substantialiter unitum, nec aliud ab ea suppositum habens.

Resp. Ad 2. Patres impropriè locuti sunt, & accipiunt concretum pro abstracto, per hominem intelligendo humanitatem: nam constat hos Patres unicam in Christo admisisse Personam. Sic S. Augustinus, qui, l. 11. de civit. c. 2. sic locutus est, Tract. 17. in Joann. ait: *Commendavi charitati vestræ, unam personam esse Christum Deum & hominem, non duas.*

Resp.

Resp. Ad 3. S. Basilius non Christum, sed Christi carnem vocat Deiferam, quia nempe re-ipsa Dei propria est propter unionem personalem inter ipsam & ,Deum Verbum.

Obj. 4. Ex Patribus Verbum assumpsit omnes perfectiones naturales hominis, excepto peccato.

Resp. Assumpsit omnes perfectioses lnaturales pertinentes ad naturam humanam. Personalitas autem humana non est perfectio secundùm se, cùm consistat in negatione unionis substantialis cum alio perfectiore.

Inst. 1. Verbum Incarnatum est perfectus homo, ergo habet etiam perfectiones ad personam humanam pertinentes.

Resp. Nego conseq. Nam ut Verbum Incarnatum sit perfectus homo, sufficit quòd humanitas ab illo assumpta habeat omnes perfectiones ad naturam humanam pertinentes.

Inst. 2. Si ita est, humanitas Christi erit in statu violento.

Resp. Nego. Nam longe melius est humanitati Christi esse naturam Personæ Divinæ quàm habere propriam personalitatem, ultimò compleri per Verbum infinitè perfectum quàm per se ipsam, subsistere in Verbo quàm subsistere in se ipsa. Quia infinitè perficitur per hoc, quod est natura

Personæ

Personæ Divinæ: nam hoc ipso quód Verbum est persona naturæ humanæ, est quoddam ejus complementum substantiale, seclusa omni imperfectione ex parte Verbi.

Nota. Nomen personæ, Hypostasis apud Veteres interdum usurpatur pro natura, interdum etiam pro diversis naturæ officiis & proprietatibus. Hoc sensu Philosophi dixerunt tria esse animæ nostræ prosopa seu supposita, quia tribus fungitur muneribus. Hoc etiam sensu S. Leo ac primus unitatis personæ & duplicis naturæ in Christo defensor, Serm. 3. de Epiphania, c. 2. loquens de Magis dixit: *His se instruunt donis, ut adoraturi unum, tria se simul credidisse demonstrent; Auro honorantes personam Regiam, Mirrha humanam, Thure Divinam.*

Obj. 5. Christus vocatur à S. Athanasio in expositione Fidei *homo Deificatus*, ita à S. Augustino, lib. 83. quæstionum, quæst. 36. *homo Dominicus.*

Resp. Hæ voces, quæ à Nestorio in pravo sensu adhibebantur, improprie & in bono sensu ab illis Patribus usurpatæ sunt: nempe per illam intelligunt Christum non per naturam humanam, sed per unionem Hypostaticam Verbi cum humanitate esse Deum & Dominum. Nam ex aliis Textibus constat hos & alios Patres agnovisse Divinitatem Christi, & Unitatem ejus Personæ.

Porro

Porro Humanitas non dicitur Templum Divinitatis, nisi in eo sensu quod Divinitas habitabat hypostaticè, seu mediante personalitate Verbi in illa.

Obj. 6. S. Chrisostomus, Hom. 3. ad cap. 1. Epist. ad Hebræos sic ait: *hic & Judæos & Pauli Samosateni Asseclas & Arianos .... feriit* (Apostolus) *& Marcionem. Quomodo? Judæos quidem, ostendens duas personas, & Deum & Hominem ..... adversus Marcellum autem & alios, quòd sint duæ personæ divisæ per hypostasim.*

Resp. Hæ voces *duas personas* & *duæ personæ* dicuntur, non de Christo, sed Patre & Filio: nam S. Doctor ibi probat Patrem & Filium esse duas personas realiter distinctas, quæ tamen sunt idem Deus. Aliqui putant voce personæ ibi significari naturam seu essentiam, non personam propriè ac strictè sumptam. Certum est autem sanctum Chrysostomum docuisse Christum esse verum Deum & verum Hominem, nec in illo duas personas strictè ac propriè sumptas admisisse. Ex multis textibus unus hic sufficiat. Sic in epist. ad Cæsarium Monachum ait: *Pium & valde pium, Christum, qui morte circumdatus est, confiteri in divinitate perfectum, unum Filium unigenitum, non dividendum in filiorum dualitatem; portantem tamen in semetipso indivisarum dua-*

rum

rum naturarum inconvertibiliter proprietates. Non alterum, & alterum absit; sed unum & eundem Dominum Jesum Deum Verbum, carne nostra amictum & ipsa non inanimata aut irrationali sicut impius Apolinaris dixit. Istis mentem intendamus; fugiamus eos qui dividunt naturam. Etsi enim duplex natura, verumtamen indivisibilis & indissipabilis unitio, in una filiationis consitenda persona & una subsistentia.

Obj. 7. Persona est substantia singularis & individua. At humanitas Christi talis est, ergo est persona.

Resp. Nego maj. Nam ad personam requiritur insuper, ut substantia singularis, individua, & completa in ratione naturæ in se sistat, sic per se ultimó completa & in se terminata, sit totum sui juris. Humanitas autem Christi talis non est: nam per Verbum ultimò completur, in Verbo subsistit, non est sui juris sed Verbi utpote perfectioris; non est sua, sed Verbi: natura enim sua non est, sed personæ cujus est natura; totum quod est, Verbi est, non sui; nam totum quod est natura, non ipsius naturæ, sed personæ est cujus est natura: persona enim habet, & natura habetur. Quare humanitas Christi nullatenus est substantia per se tota, nec totum sui juris, sed se habet ad modum partis.

Inst.

Insti. 1. Humanitas Christi est per se completa, ergo est substantia per se tota, &c.

Resp. Humanitas Christi est completa in ratione naturæ, non in ratione personæ: Unde subsistit in Verbo, non in se, & se habet ad modum partis, ideoque non est substantia tota per se.

Inst. 2. Persona definitur à Boetio naturæ intellectualis individua substantia.

Resp. Ibi vox substantiæ à Boetio sumitur pro substantia completa & ultimò terminata, quæ sit totum sui juris. Itaque persona proprié est substantia intellectualis, perse se totalis, ultimó completa ac terminata. Natura autem humana Christi talis non est. Nam neque est substantia totalis seu totum sui juris, existens ut quid suum & propter se, cum sit tota Verbi, cui subordinatur ut principaliori & digniori, & se habeat ad modum partis; neque est per se ultimò completa ac terminata: nam ulteriùs completur substantialiter à Verbo per sui unionem substantialem cum illo, & terminatur ac sistit in Verbo non se.

Nota. Cùm dicitur hypostasis Verbi post Incarnationem subsistere in duabus naturis, sensus est pypostasim seu personam Verbi esse personam duarum naturarum, divinæ scilicet & humanæ post Incarnationem; cùm ante Incarnationem esset tantùm persona unius naturæ, nempe divinæ. *Obj.*

Obj. 8. Unitas perſonæ divinæ eſt prior union , cùm ſit ab æterno. Ergo ex unione humanitatis cum Verbo non reſultat unitas perſonæ.

Reſp. Diſting. anteced. Unitas perſonæ divinæ ut ſubſiſtentis in natura divina ſola eſt prior unione, *conc. ant.* unitas perſonæ divinæ ut ſubſiſtentis in duabus naturis eſt prior unione humanitatis cum Verbo, *nego cant.*nam per unionem hypoſtaticam ſeu perſònalem Verbi cum humanitate factum eſt, ut perſona divina Verbi, quæ una erat in unica natura, ſit una in duabus naturis.

Obj. 9. De eodem ſuppoſito verè dici non poſſunt contraria, at de Chriſto multa dicuntur contraria. Ergo.

Reſp. Diſting. maj. De eodem ſuppoſito verè dici non poſſunt contraria ratione ejuſdem naturæ, *conc. maj.* ratione diverſarum naturarum, *nego maj* Chriſtus autem duas habet naturas diverſas, diſtinctas & integras, ſecundùm quas de illo prædicari poſſunt contraria, ut quod fuerit mortalis & immortalis, paſſibilis & impaſſibilis, quód ſit Deus & Homo, &c.

Obj. 10. Filius Dei non pòtuit generari à Beata Virgine, cùm ſit ab æterno. Ergo Filius Mariæ non eſt Filius naturalis Dei.

Reſp. Diſting. anteced. Eilius Dei non potuit generari à Beata Virgine ut Deus eſt, *conc.*

conc. ant. ut homo eſt, *nego anteced. & conſeq.* ut Beata Virgo ſit Mater Dei & verè dicatur genuiſſe Deum & Filium Dei, non neceſſe eſt, ut Verbi perſonalitatem vel divinitatem genuerit, ſed ſatis eſt, ut natura quam generavit, fuerit inſtanti generationis aſſumpta Verbo per unionem ſubſtantialem ac perſonalem: nam vi hujus aſſumptionis terminus adæquatus ex ejus generatione reſultans eſt Homo-Deus Eilius Dei verus Deus & Homo. Sic aliæ fæminæ, quamvis animam rationalem hominis conſtitutivam non genuerint, veré tamen dicuntur & ſunt matres hominis, quia ſcilicet terminus adæquatus generationis eſt homo. Quemadmodum igitur ut mulier dicatur Mater hominis ſufficit ut generet corpus, quod unitum animæ eſt terminus totalis generationis: ſic ut Beata Virgo verè dicatur & ſit Mater Dei; ſufficit quód genuerit corpus, quod unitum animæ conſtituat hominem, & ille homo eodem inſtanti uniatur perſonaliter Filio Dei, vero Deo: nam tunc totalis terminus generationis eſt Homo-Deus, Deus-Homo.

Inſt. 1. B. Virgo nuſquam in Scriptura dicitur Mater Dei.

Reſp. Dicitur Mater Dei ſaltem æquivalenter & implicitè, cúm dicitur genuiſſe Jeſum, quem Scriptura aſſerit eſſe Deum: *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de*

qua

qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. Matth. c. 1. & Angelus Mariæ dixit: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Luc. 1. præterea eodem cap. 1. Lucæ Elisabeth repleta Spiritu-sancto dixit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?*

Porro quamvis B. Virgo sit verè & propriè Mater Dei, eò quòd eum genuerit, qui est Dei Filius naturalis & verus Deus; tamen dici non debet causa Dei, quia causa strictè sumpta significat generalem causalitatem illius totius cujus dicitur causa. Vox autem mater significat solùm causalitatem corporis humani, & unionis ejus cum anima

Inst. 2. B. Virgo dici non potest mater Verbi Divini, ergo nec Filii Dei.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quia per Verbum Divinum intelligitur terminus generationis æternæ in sinu Patris: At per Filium intelligitur terminus tùm æternæ, tùm temporalis generationis in utero Mariæ Virginis.

Inst. 3. Beata Virgo non est consubstantialis Filio Dei; ergo non est ejus Mater.

Resp. Disting. anteced. Non est consubstantialis Filio Dei, secundùm naturam divinam, & ut Deus est, *conc. ant.* secundùm naturam humanam, & ut homo est,

nego ant. unde eſt Mater Filii naturalis Dei, non ut Deus eſt, ſed ut homo eſt. Hic etiam Filius Dei eſt Filius Mariæ non ratione divinitatis, ſed ratione humanitatis Verbo perſonaliter unitæ.

Inſt. 4. Nomen *Deus* abſolutè poſitum ſignificat Deum ut communem tribus perſonis. At B. Virgo non genuit Deum ut communem tribus perſonis: non emin genuit Patrem & Spiritum-ſanctum. Ergo dici non debet ſimpliciter Mater Dei.

Reſp. Diſt. maj. Si vox *Deus* non aliunde determinetur ad aliquam perſonam, *conced. maj.* ſi aliunde determinetur ad unam perſonam, *neg. maj.* quando B. Virgo dicitur Mater Dei; hæc vox *Deus* ſatis ex mente Eccleſiæ determinatur ad Filium, ſeu ſecundam perſonam. Et verò in Scriptura nomen Dei abſolutè poſitum tribuitur ei, qui mortuus eſt, juxta illud, 1. Joann. c. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit.* Et illud Pauli, act. c. 20. *Spiritus-ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo.* Ergo eadem vox abſolutè & ſimpliciter tribui etiam poteſt ei, qui de Virgine natus eſt, cum ejuſdem ſit naſci & mori.

Inſt. 5. Beata Virgo generavit verum hominem.

Reſp. Generavit verum & perfectum ho-

minem ſubſiſtentem ſubſiſtentiâ Verbi, non verò ſubſiſtentiâ propriâ.

ARTICULUS VIII.

Utrùm in Chriſto duæ ſint naturæ integræ & diſtinctæ ?

NOta 1. Eutiches Presbyter & Archimandrita, ſeu Abbas celeberrimi Monaſterii Conſtantinopolitani, ex his S. Cyrilli verbis (*unam Verbi naturam Incarnatam*) malè intellectis, & ex odio Neſtorianæ hæreſis, quam antea accerimè oppugnaverat, in hæreſim Neſtorianæ planè oppoſitam lapſus eſt, quæ quidem à ſuo nomine Eutichiana dicta eſt. Hic aſſeruit unicam eſſe in Chriſto naturam poſt unionem, ſicut unica eſt perſona, ut conſtat ex actis Concilii Conſtantinopolitani ſub Flavino, in quo primùm damnatus eſt Eutiches; & ex Epiſtola ejuſdem Flaviani ad S. Leonem Papam, in qua aſſerit Eutichem dixiſſe, *ante Incarnationem quidem Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti duas naturas eſſe Divinitatis & Humanitatis: poſt unitionem verò unam naturam factam.*

Non conſtat quo ſenſu Eutiches intellexerit duas naturas in unam coaluiſſe, an ſcilicet per converſionem unius in aliam, an per conſumptionem unius ab alia, an per

compofitionem, an per confufionem, aut mixtionem. Sed parvi refert, quid hac in re fenferit imperitiffimus & imprudentiffimus Senex, ut à S. Leone vocatur, præfertim cum Fides Catholica omnem hanc unitatem repudiet.

Nota 2. Eutichianam Hærefim fecuti funt Diofcorus Alexandrius Patriarcha; Acephali fub Zenone, fic dicti quòd à communione Petri Moggi Alexandrini Epifcopi difceſſerint, eò quòd Concilium Chalcedonenfe (licèt fimulatè) admittere fe profeffus effet; Severus Monachus in Sedem Aatiochenam intrufus, homo impuriffimus, cujus difcipuli Severiani dicti funt; denique Jacobus quidam natione Syrus ineunte fexto fæculo, cujus difcipuli dicti funt Jacobitæ, quibus feptimo fæculo omnes Eutichianorum fectæ fefe adjunxere.

§. I.

Dico 1. In Chrifto duæ funt naturæ integræ, diftinctæ, & inconfufæ, nempe Divina & humana. Eft de fide. Ac proinde unio Verbi Divini non facta eft in natura, fed immediatè in perfonalitate Verbi.

Prob. 1. Ex Script. Phil. c. 2. *Qui cùm in forma Dei effet, non rapiam arbitratus eft, effe fe æqualem Deo; fed femetipfum exinanivit,*

vit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus. Ubi exprimitur duplex in Christo forma seu natura, nempe Dei, & servi seu hominis, non confusa & permixta, sed integra & distincta.

Item ex iis Scripturæ locis, quibus probavimus Christum esse Verum Deum & verum hominem. Nam Christus non potest esse verus Deus & homo, nisi habeat duas simul naturas Divinam & Humanam, omninò integras, distinctas & inconfusas.

Prob. 2. Ex Traditione, cujus testes sunt Patres. Pro omnibus sint, S. Athanasius, l. de Incarnatione ubi ait: *appellabitur perfectus Deus, & perfectus homo Christus .... secundùm rationem existendi sine defectu plenam & integram, ut unus sit utrimque per omnia idem & Deus & Homo.*

S. Ambrosius, l. 2. de fide, c. 4. *servemus distinctionem divinitatis & carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Etsi idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Quasi Deus loquitur quæ sunt divina, quia verbum est: quasi homo dixit quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur.*

S. Augustinus, tract. 78. in Joann. *Quid igitur hæretice, cùm Christus sit Deus & Homo, loquitur ut Homo, & calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare divinam.* S.

S. Cyrillus Alexandrinus, l. de Incarnatione, c. 12. *unus igitur est & ante Incarnationem Deus verus, & qui in humanitate remansit id, quod erat, & est, & erit. Non discernendum igitur unum Dominum Jesum Christum in hominem seorsum, & seorsum in Deum, sed unum eumdemque Jesum Christum esse dicimus, non ignorantes differentiam naturarum, sed eas inconfusas inter se servantes.* Et epist. ad Joannem Antiochen. quæ incipit, *Lætentur Cœli.*

Prob. 3. Ex Conciliis generalibus; Chalcedonense anno 451. contra Eutychem coactum, actione 5. postquam Eutichetis & Nestorii hæreses damnavit, sic ait: *Sequentes igitur Sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium & Dominum nostrum Jesum-Christum consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in deitate, & eundem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum, eumdem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobiscum secundùm humanitatem: ante sæcula quidem de Patre genitum secundùm deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos & propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundùm humanitatem, unum eumdemque Christum, Filium, Dominum, unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inse-*

sepa-

ſeparabiliter agnoſcendum: nuſquam ſublata differentia naturarum propter unitionem, magiſque ſalva proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrente.

Huic definitioni adde epiſtolam dogmaticam S. Leonis Papæ ad Flavianum, in qua Incarnationis myſterium egregiè exponit, & duas in Chriſto naturas diſtinctas & inconfuſas eſſe definit, ac fusè probat: qua quidem in Concilio Chalcedonenſi lecta, ſic acclamatum eſt ab omnibus Epiſcopis ſexcentis & triginta: *Hæc Patrum fides, hæc Apoſtolorum fides; omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus eſt.*

Conſtantinopolitanum II. can. 8. dicit: *Si quis ex duabus naturis deitatis & humanitatis, confitens unitatem factam eſſe, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dices, non ſic ea excipit, ſicut Patres docuerunt, quòd ex divina natura & humana, unitione ſecundùm ſubſiſtentiam facta, unus Chriſtus effectus eſt, ſed ex talibus vocibus unam naturam ſive ſubſtantiam deitatis & carnis Chriſti introducere conatur; talis anathema ſit.*

Conſtantinopolitanum III. in fidei definitione Verba Concilii Chalcedonenſis modò citata uſurpat.

Nicænum II. in definitione fidei ait: *duas naturas confitemur ejus, qui incarnatus eſt.*

propter nos ex intemerata Dei genitrie semper Virgine Maria, perfectum eum Deum, & perfectum hominem cognoscentes.

Prob. 4. Ratione Theologica. Ptima ex Scriptura, Patribus, & Conciliis. Christus est verus ac perfectus Deus, verus ac perfectus homo. Sed talis non esset, nisi haberet duas naturas interegras, distinctas, & inconfusas, divinam, scilicet & humanam: nam verus Deus est ille, qui habet naturam divinam, integram & inconfusam; & verus homo est ille, qui habet naturam humanam, intergram, distinctam, & inconfusam, ut per se patet. Ergo Christus habet duas naturas integras, dtstinctas & inconfusas, divinam scilicet & humanam.

Secunda ratio, quia divinitas & humanitas non sunt una, neque per conversionem, aut consumptionem, neque per mixtionem, neque per compositionem. Ergo non sunt factæ una natura: nam non potest alius fingi modus, quo fiant una.

Probo antecedens per partes. Et 1. quidem non sunt una per conversionem unius in aliam, aut quasi unius consumptionem. Nam neque divinitas converti potest in humanitatem, aut illa consumi, alioqui divinitas esset mutabilis & corruptibilis, quod repugnat. Neque humanitas in divinitatem conversa est, aut ab ea consumpta; alioqui divinitas

vinitas passa & mutata fuisset, quod implicat; & Christus non esset verus homo, non esset passus in carne, non esset nobis in omnibus similis absque peccato, non pertulisset peccata nostra in corpore suo super lignum, non esset mortuus, nec verè resurrexisset. quæ omnia Scripturæ & Patribus repugnant.

2. Divinitas & humanitas non sunt una per mixtionem. Nam si hoc esset, ex mixtione divinitatis & humanitatis facta esset tertia quædam natura, diversa ab utrisque: Nam ex omni mixtione resultat natura diversa à miscilibus, sic ex mixtione elementorum fit corpus mixtum diversum ab illis: ac proinde Christus esset tertia quædam natura essentialiter diversa à Deo & homine, & sic Christus nec Deus esset, nec homo. Præterea per talem mixtionem mutaretur divinitas, quod repugnat.

3. Denique divinitas & humanitas in Christo non sunt una per compositionem & unionem, ita ut ex humanitate, & divinitate facta sit una natura per se, sicut ex corpore & anima rationali per compositionem seu unionem fit natura humana. Nam ex duabus naturis completis resultare non potest una tertia natura, ut constat apud omnes Philosophos. Præterea si divinitas & humanitas in Christo non facerent nisi unam naturam completam sicut anima & corpus

corpus in homine, Christus non posset dici simpliciter Deus, & simpliciter homo, sicut homo non potest dici simpliciter corpus, aut simpliciter anima; sed Christus posset tantùm dici divinus & humanus, sicut homo dicitur animatus & corporeus.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Ex Phil. c. 2. Filius Dei *Semetipsum exinanivit.*

Resp. Se ipsum quidem exinanivit, non conversione divinitatis in humanitatem, aut utriusque permixtione, sed humanitatis assumptione, *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus*, ait Apostolus.

Obj. 2. Eodem modo Joann. c. 1. dicitur Verbum caro factum, quo aqua dicitur vinum facta, c. 2. sed aqua dicitur facta vinum per conversionem. Ergo etiam Verbum caro factum est per conversionem.

Resp. Verbum dicitur caro factum eodem modo quoad formam verborum, quo aqua dicitur vinum facta, sed non eodem modo quoad sensum. Nam si idem esset sensus, sequeretur verbum desiisse, sicut desiit aqua per suam in vinum conversionem. Itaque eadem forma verborum habere potest diversum sensum pro diversita-

te materiæ seu rei significatæ, ut patet ex illo Apostoli ad Gal. c. 3. ubi dicitur Christus factus maledictum, sensus enim non est Christum conversum esse in maledictionem.

Igitur Verbum caro factum est, non per mutationem sui in carnem, sed per assumptionem humanitatis in unitatem personæ Verbi. *Verbum caro factum est, non quód in carnem commutatum fuerit, sed quód carnem pro nobis assumpserit, & homo factus sit*, ait S. Epiphanus, hæres. 77.

Inst. Justinus Martyr, apolog. 2. dicit panem in Eucharistia fieri carnem Christi, sicut Verbum caro factum est. At panis fit caro Chisti per conversionem. Ergo.

Resp. Solum significare vult in Eucharistia esse verè carnem & sanguinem Christi, sicut Verbum verè habet carnem & sanguinem: quod patet ex contextu.

Obj. 3. Multi Patres, ut Irenæus, l. 2. c. 21. Tertulianus, apolog. 12. Augustinus, epist. ad Volusian. &c. Incarnationem vocant mixtionem & mixturam. Ergo facta est naturarum mixtio.

Resp. Nego conseq. Nam Patres nomine mixtionis hic intelligunt solum intimam ac substantialem naturarum unionem in persona: constant enim eos admisisse in Christo duas naturas distinctas & inconfusas, & Christum agnovisse verum Deum

simul

ſimul & hominem. Hic pro omnibus ſuffi-ciat S. Auguſtinus, qui, epiſt. 3. ad Volu-ſian. ſic. ait: *Sicut in unitate perſonæ anima unitur corpori, ut homo ſit: ita in unitate perſonæ Deus unitur homini, ut Chriſtus ſit. In illa ergo perſona mixtura eſt animæ & corporis: in hac perſona mixtura eſt* Dei *& hominis; ſi tamen recedat auditor à conſuetudine corporum, qua ſolent duo liquores ita commiſceri, ut neuter ſervet integritatem ſuam; quamquam & in ipſis corporibus aëri lux incorrupta miſceatur.*

Nota. Duplex eſt miſtio, una quâ duò ita permiſcentur, ut utrumque integritatem ſuam amittat: talis eſt miſtio liquorum. Alteram verò, qua duo ita intimè conjunguntur, ut tamen utrumque ſuam integritatem ſervet: talis eſt miſtio corporis humani & animæ rationalis. De hac vltima miſtione loquntur Patres in myſterio Incarnationis. Unde cum S. Cyprianus & aliqui alii Patres dicunt Deum per Incarnationem miſtum eſſe homini, hoc eodem ſenſu intelligunt, quo in hominis generatione anima dicuntur miſceri corpori, in eſt, intimè ac ſubſtantialiter uniri manente utriſque ſubſtantia integra.

Obj. 4. Julium Papam, in epiſt. ad Dionyſium Corinth.

Reſp. Epiſtola illa non eſt Julii, ſed ipſi
ab

ab Eutichianis falsò adſcripta fuit. Similiter expoſitio fidei, quæ ab Eutichianis falsò S. Gregorio Thaumaturgo tribuitur, & catholicis objicitur, fætus eſt Apollinaris, aut Eutichis, aut alterius cujuſdam hæretici.

Obj. 5. A Patribus paſſim comparatur unio divinitatis & humanitatis cum unione animæ rationalis & corporis. Ergo ſicut ex unione animæ cum corpore reſultat una natura, ita ex unione divinitatis cum humanitate reſultat una natura.

Reſp. Diſting. anteced. Comparatur in aliquo, *conc. ant.* comparatur in omnibus *nego ant.* Patres per hanc comparationem hoc unum intendunt, quòd ſicut ex unione animæ cum corpore abſque confuſione ſit unus homo: ita ex unione divinitatis cum humanitate in perſona Verbi abſque confuſione naturarum ſit unus Chriſtus, una duarum naturarum perſona, quæ eſt Deus homo; & quòd ſicut unio animæ cum corpore ſit phyſica ac ſubſtantialis, ita & unio Verbi cum humanitate. Quod patet ex ſymbolo Athanaſiano, ubi dicitur de Chriſto: *Qui licèt ſit Deus & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Unus omnino, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo;*

homo: ita Deus & homo unus est Christus.

Porro cum aliqui Patres unionem hypostaticam vocant essentialem, solum volunt esse substantialem, non accidentalem.

Obj. 6. S. Damascenus, in sua dialectica c. ult. ait: *Illud scire attinet, hypostaticam unionem unam rerum cunjunctarum naturam efficere.*

Resp. Billius, cujus est hæc versio, malè vertit naturam pro hypostasi; nam in textu Græco legitur *hypostasin*, personam, non *physin*, naturam. Et verò Damascenus eodem capite inferius asserit ex duabus naturis unam tertiam effici non potuisse.

Obj. 7. Aliqui Patres dicunt naturam humanam in Christo esse deificatam.

Resp. Solum volunt eam esse divinitati substantialiter unitam in personalitate Verbi, ita ut hic homo Christus sit Deus, ut patet ex eorum doctrina.

Obj. 8. S. Cyrillus Alexandr. unicam in Christo admisit naturam post unionem.

Resp. Nego Nam multis in locis expressè docet duas in Christo naturas distinctas & inconfusas. Præter textum, l. de Incarnatione supra laudatum, hic unus sufficiat ex epist. ad Nestorium scripta, quæ incipit, *intelligo*, approbata à Concilio Ephesino ubi ait: *asserimus Verbum, unita sibi secundùm hypostasim carne animata rationali anima, inex-*

inexplicabili incomprehensibilique modo hominem factum... & quamvis naturæ sint diversæ vera tamen unione coeuntes, unum nobis Christum & Filium effecerunt: non quód naturarum differentia propter unionem sublata sit; verúm quód divinitas & humanitas secreta quadam ineffabilique conjunctione in una persona unum nobis Jesum-Christum & Filium constituerint. Præterea in Commonitorio ad Eulogium dicit Nestorium errare, non dicendo duas naturas, sed earum unionem substantialem negando.

Inst. 1 S. Cyrillus, Epist. 1. ad Successum dicit naturam divinam & humanam non nisi cogitatione distingui.

Resp. Per tò *distingui* intelligit dividi ac separari: quod patet ex exemplo animæ & corpus quod affert, quæ realiter à se invicem non separantur in homine vivo. Præterea, in Epist. ad Joann. Antiocheum, quæ incipit; *lætentur Cœli*, rejicit omnem in Christo mixtionem, qua duo itá confunduntur, ut utrumque vel alterutrum suam integritatem amittat: nam ibi sic ait: *In Divinitate & in Humanitate perfectus est* (Christus,) *& tanquam in una persona consideratur. Unus enim Dominus est Jesus-Christus; quamvis non ignoretur naturarum differentia, è quibus inenarrabilium istam unitatem factam esse dicimus. Ora verò eorum, qui* vel

vel concretionem, vel confusionem, vel commixtionem Verbi Dei cum carne factam esse dicunt, dignetur Sanctitas tua obstruere. Est enim verisimile & ista quosdam de me spargere, quasi talia vel senserimus, vel dixerimus. Ego verò tantùm absum ab eo, ut tale quid sentiam, ut etiam insanire arbitrer eos, qui quovis modo conversionis adumbrationem in Divina Verbi natura contingere posse putant, manet enim illa quod semper est, nec altera est, &c.

Inst. 2. S. Cyrillus in Epist. 1. ad Successum ait: *Post unionem naturas alteram ab altera non dividimus, neque in duos filios unum illum impartibilemque secamus, sed unum asserimus filium, ut & SS. Patres dixerunt, unam naturam Dei Verbi Incarnatam.* Ergo unicam in Christo admisit naturam.

Resp. Nego conseq. Nam non dicit, unam naturam Verbi Incarnati, *sed unam naturam Verbi Incarnatam:* quorum Verborum sensus est, naturam divinam Verbi, quæ una est, unitam esse substantialiter humanitati in personalitate Verbi.

Itaque per hunc loquendi modum Cyrillus & alii Patres solum intendunt naturam divinam Verbi esse substantialiter unitam humanitati in personalitate Varbi, & per hanc unionem substantialem illas duas naturas coalescere in unam personam, unum Christum, qui simul est Deus & homo,

Quod

Quod patet ex ipso Cyrillo, in suo ad Eulogium commonitorio, ubi ait: *licèt duas naturas esse dicat* (Nestorius) *carnis & Verbi Dei differentiam significans, est enim alia Verbi, alia carnis natura; attamen unionem unà nobiscum non confitetur. Nos enim illas adunantes, unum Christum, unum eumdem filium, unum* Dominum *confitemur, & unam propterea Dei naturam Incarnatam dicimus.* Hoc etiam constat ex quinto Concilio Generali, eadem verba in hoc sensu interpretante, can. 8. ubi ait: *Si quis ... Unam naturam Dei Verbi Incarnatam dicens, non sic ea excipit, sicut Patres docuerunt, quód ex divina natura & humana, unitione secundùm subsistentiam facta, unus Christus effectus est ... Talis Anathema sit.*

Alii hunc textum Cyrilli sic explicant, nempe unam naturam unitate suppositi, non naturæ.

Inst. 3. S. Cyrillus, in libro ad Reginas, S. Athanasium citans: *Agnoscimus illum Dei filium* Deum *esse secundùm Spiritum Filium autem hominis secundùm carnem: non duas naturas, unam adorandam, alteram non adorandam, sed unam naturam* Divini *Verbi Incarnatam, quæ simul cum ejus carne una adoratione adoratur: neque duos rursum filios, alterum verum adorandumque, nempe Filium Dei; alterum ex Maria hominem non adorandum*

F (Latria)

(Latria,) *sed per gratiam perinde ac cæteri homines in filium coaptatum.*

Resp. Solùm vult cum S. Anathasio se non agnoscere in Christo duas naturas accidentaliter tantùm unitas, & subsistentes in duabus personis, quarum proinde una adoretur cultu Latriæ, altera non sic adoranda; sed agnoscere naturam divinam Verbi, quæ una est, unitam substantialiter humanitati in personalitate Verbi quæ simul cum ejus humanitate una adoratione adoratur, cùm utraque natura in eadem persona Divina subsistat. Igitur Athanasius & Cyrillus Alexandrinus in loco objecto non negant duas naturas simpliciter & absolutè, sed duas naturas subsistentes in duobus suppositis, quarum una adoretur Latria, altera non; voluntque Verbum cum humanitate sua una eademque adoratione Latriæ adorandum esse, cum Verbum cùm sua humanitate sit una persona, unus Christus, unus Dominus, non duo Christi, duo Domini. Quod patet ex his verbis: *Sed unam naturam divini Verbi Incarnatam, quæ simul cum ejus carne una adoratione adoratur.* Ubi præter unam naturam Verbi, admittit aliam distinctam, nempe humanitatem.

Obj. 9. Si duæ essent in Christo naturæ, essent quoque duo Christi. Falsum conseq. ergo. *Neg. seq. maj. probabis.* Ideo

in

in Trinitate unus eſt Deus, quamvis ſint tres Perſonæ, quia eſt unica natura. Ergo à contrario ſi duæ ſint in Chriſto naturæ, duo ſunt Chriſti.

Reſp. Nego conſeq. Quia concreta ſubſtantiva non multiplicantur, niſi multiplicentur ſimul natura & ſuppoſitum. Unde Deus in Trinitate non multiplicatur, quia natura divina multiplicatur, ſed eſt una & eadem in tribus Perſonis: Chriſtus verò non multiplicatur, quia non multiplicatur ſuppoſitum ſeu perſona.

§. III.

Dico 2. Natura humana Chriſti nullo unquam inſtanti reali temporis extitit ſine unione cum Verbo. Eſt de fide contra Eutychem aſſerentem duas ante unionem fuiſſe naturas, poſt unionem verò unicam. Qui modus loquendi ſupponit illas naturas aliquandiu extitiſſe à ſe invicem ſeparatas.

Conſtat ex dictis. Nam alioqui B. Virgo non concepiſſet Deum, non eſſet verè Mater Dei: nam enim genuiſſet naturam perſonæ divinæ unitam; item in Chriſto fuiſſent aliquando duæ perſonæ, duo filii, Chriſtus fuiſſet aliquando purus homo. Quæ omnia adverſantur Scri-

pturæ, Patribus & Conciliis. Quare hanc Eutychis propositionem S. Leo, Epist. ad Flavian. vocat absurdam, perversam, blasphemam: *cùm tam impiè*, inquit, *duarum naturarum ante Incarnationem Unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quàm nefariè, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur?*

Unde cum aliqui Catholici dicunt duas naturas ante unionem, loquuntur de prioritate rationis, non temporis, quatenus scilicet natura humana prius concipitur in suo esse constituta quàm uniatur, quamvis eodem instanti temporis fuerit in suo esse constituta & verbo unita.

ARTICULUS IX.

Utrum Christus habuerit corpus passibile & corruptibile?

§. I.

NOta. Secta quædam Eutychianorum, duce Juliano Halicarnensi, præter unitatem naturæ in Christo, aliam Hæresim de incorruptibilitate, seu inalterabilitate & impassibilitate carnis Christi invexit. Unde illi Hæretici incorrupticolæ dicti sunt. Hi docebant corpus Christi statim atque formatum fuit in utero B. Virginis, fu-

iſſe incorruptibile, & incapax omnis mutationis & alterationis, ſic ut nequidem fuerit obnoxium paſſionibus naturalibus innocentibus, puta doloribus, ſiti fami, &c. Quare Phantaſiaſtæ etiam dicebantur, non quód Phantaſticum duntaxat corpus Chriſto affingerent, ſed quòd naturales in Chriſto affectiones apparentes duntaxat, non veras, eſſe docerent.

In hanc Hæreſim Juſtinianus Imperator ex ſua immoderata circa res Fidei curioſitate, & ab uxore ſua Eutychiana deceptus, impegit, licèt Eutychianam Hæreſim damnaret, voluitque ut Epiſcopi omnes hanc doctrinam approbarent. Sed impio Imperatoris edicto fortiter reſtiterunt omnes Patriarchæ, multique Epiſcopi in conciliis & ſcriptis ſuis, imprimis S. Eutiquius Conſtantinopolitanus Patriarcha hanc ob cauſam in exilium miſſus. Cumque Juſtinianus pœnam exilii in omnes Epiſcopos Catholicos ſuo errori adverſantes decreturus eſſet, repentina morte ſublatus eſt.

Dico Chriſtus ante mortem ſuam habuit corpus paſſibile, fuitque verè doloribus obnoxium tum quoad corpus, tum quoad animam. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Script. Iſai. c. 53. Chriſtum vocat *virum dolorum & ſcientem infirmitatem* & v. 4. de eo dicit: *Verè languo-*

res nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi Leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. 1. Petri, cap. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Luc. c. 22. *oportuit Christum pati.* Matth. cap. 4. *esuriit.* Joann. 4. *fatigatus ex itinere, sedebat sic suprà fontem.* Joann. 11. *infremuit Spiritu & turbavit se ipsum ... Et lacrymatus est.* Marci 14. *cœpit pavere & tædere. Et ait illis: tristis est anima mea usque ad mortem.*

2. Ex Symbolis Fidei, & ex Patribus Christus vere passus est. Ergo fuit doloribus obnoxius, & habuit corpus corruptibile seu alterationis capax: nam caro non est occasio doloris nisi ratione alterationis quæ in ea fit: ac proinde caro Christi fuit capax alterationis, & consequentur corruptionis, cum alteratio sit principium corruptionis.

3. Ex Conciliis & Patribus Christus ut homo fuit consubstantialis Matri & nobis, fuit similis nobis in omnibus, & omnes infirmitates nostras suscepit, exceptis peccato, concupiscentia mala, & ignorantia. Idque docet Apostolus, Hebr. 4. *Non enim*, inquit, *habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem*

autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato Et c. 2. *debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut re propitiaret delicta populi. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur auxiliari.*

4. Ex Patribus. Pro omnibus ſit Tertullianus, lib. 3. adverſus Marcionem, c. 8. ubi ait: *ſic* (in ſententia Marcionis) *nec paſſiones Chriſti ejus fidem merebantur: nihil enim paſſus eſt, qui non verè eſt paſſus. Verè autem pati Phantaſma non potuit. Everſum eſt igitur totum Dei opus; totum Chriſtiani nominis & pondus & fructus, mors Chriſti negatur.*

Ratio eſt, quia conveniens fuit & utile ad redemptionem hominum, & ad exemplum patientiæ, ac fortitudinis, quæ ad ſalutem neceſſaria eſt, ut Chriſtus verè dolores ſenſibiles experiretur. Imò hoc fuit neceſſarium ad redemptionem noſtram ex decreto divino.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Illud, 1. Pſal. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

Reſp. Senſus eſt corpus Chriſti re ipſa immune fuiſſe à putredine poſt ejus mortem

tem etiam ante Resurrectionem. Sed nihilominus fuit ante mortem Christi passibile & alterabile, atque in hoc sensu corruptibile: non tamen fuit putredini obnoxium.

Obj. 2. Passibilitas orta est à peccato. Ergo Christus, qui ab omni peccato immunis est, non fuit passibilis.

Resp. Passibilitas seu necessitas patiendi orta est quidem à peccato Adami, sed in nobis, non in Christo. Christus autem doloribus & infirmitatibus humanis obnoxius fuit tum ex voluntate propria, tum etiam ex naturali carnis conditione, quam nostræ in omnibus absque peccato & concupiscentia similem assumpsit. Nam Christus eam humanitatem assumere voluit, quam redempturus erat in aliis individuis humanæ speciei, in qua & per quam redemptionis humanæ opus perficere posset. Hæc autem humanitas ex naturæ suæ conditione doloribus ac infirmitatibus obnoxia est.

Inst. Dolores ac infirmitates sunt effectus ac pœnæ peccati. Ergo Christus iis non fuit obnoxius.

Resp. Nego conseq. Nam dolores & infirmitates humanæ fuerunt in Christo effectus ac pœnæ peccatorum hominum, pro quibus se vadem ac sponsorem dedit.

Obj. 3. Debet esse discrimen inter passiones

ſiones ac infirmitates noſtras, & paſſiones Chriſti. Ergo hæ in Chriſto debuerunt eſſe tantùm apparentes.

Reſp. Nego conſeq. Nam multiplex fuit aliud diſcrimen inter infirmitates noſtras & infirmitates Chriſti. 1. Enim ex neceſſitate ineluctabili infirmitates patimur, Chriſtus verò carnem paſſibilem liberè voluit aſſumere. 2. Infirmitates & paſſiones ſunt in nobis pœnæ peccati proprii, in Chriſto verò fuerunt effectus ejus in nos amoris, quo voluit eas propter noſtram ſalutem pati. 3. Humanæ affectiones in nobis ſæpiſſimè inde liberatæ ſunt & inordinatæ: in Chriſto omnes affectiones deliberatæ & ordinatæ erant, atque ab ejus voluntate ſemper rectiſſima excitabantur & regebantur.

Obj. 4. Si Chriſtus habuit dolorem, triſtitiam, timorem, vera, vel iſta fuerunt ſenſibilia ſeu in appetitu ſenſitivo, vel in voluntate. Neutrum dici poteſt. Ergo.

Reſp. Nego min. Et dico utrumque. Itaque 1. fuit in Chriſto dolor ſenſibilis, qui eſt actus appetitus ſenſitivi averſantis læſionem corporis ſenſu tactus perceptam. *Ad veritatem doloris ſenſibilis* (inquit S. Thomas, 3. p. q. 15. a. 5.) *requiritur læſio corporis, & ſenſus læſionis. Corpus autem Chriſti lædi poterat, quia erat paſſibile & mortale. Nec defuit ei ſenſus læſionis: cùm anima Chriſti perfectè habe-*

beret

beret omnes potentias naturales. Unde nulli dubium debet esse, quin in Christo fuerit verus dolor. 2. Fuit tristitia sensibilis, quæ est actus appetitus sensitivi aversantis malum aliquod imaginatione apprehensum ut præsens: ad quam proinde sufficit malum aliquod tanquam objectum, & illius mali ut præsentis apprehensio per imaginationem; quibus positis naturali necessitate sequitur in appetitu sensitivo tristitia sensibilis. 3. Fuit timor sensibilis, qui est actus appetitus sensitivi aversantis malum aliquod per imaginationem apprehensum ut futurum. 4. Fuerunt in Christo dolor, & tristitia, & timor appetitus rationalis seu voluntatis, qui sunt actus ex prævia cognitione intellectuali, juxta illud Christi: *tristis est anima mea usque ad mortem.* Tùm quia fuerunt in Christo dolor & tristitia sensibilia, ex quibus naturali necessitate sequuntur dolor & tristitia in voluntate, nisi impediantur: Christus autem noluit illa impedire, cū illa ad perfectiorem satisfactionem, patientiam ac fortitudinem conferrent. Tum quia Christus verè doluit & tristatus est de peccatis hominū propter motiva, quæ non cadunt sub sensum, sed solum sub ratione, puta propter offensam Dei.

Inst. 1. Visio beatifica excludebat omnem dolorem sensibilem.

Resp. Nego Nam (ut ait S. Thomas ibid.

Ibid. ad 3.) *Virtute Divinitatis Christi, dispensative sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabat ad corpus, ut ejus passibilitas & mortalitas tolleretur. Et eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quòd non derivabatur ad vires sensibiles, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur.*

Inst. 2. Christus fuit comprehensor, ergo fuit incapax doloris.

Resp. Fuit quidem comprehensor, nam perfecté videbat Deum, eoque fruebatur: sed simul fuit viator: nam cum esset quoad corpus & animam passibilis, sibi merendo impassibilitatem, tendebat ad plenam ac integram beatitudinem.

Inst. 3. Anima Christi habebat essentialem beatitudinem, nam Deo perfectè fruebatur: ergo non erat obnoxia doloribus:

Resp. Nego conseq. Nam hoc non implicat, quamvis à nobis vix intelligi possit. Igitur per miraculum Deus impedivit, ne animæ Christi felicitas in potentias inferiores & corpus efflueret.

Obj. 5. S. Dionysius Alexandrinus, in Epist. contra Paulum Samosatenum conscripta docet Christum tristatum fuisse metaphorice tantum, nempe sicut de Spiritu Sancto, Ephes. c. 4. dicitur: *Nolite contristare Spiritum-Sanctum Dei.*

Resp.

Resp. Loquitur de Christo ut Deo; non ut homine. Nam Samosatenus negabat Christum esse Deum ex eo quod tristatus esset. Respondet Dionysius Christum ut Deum fuisse tristatum sicut Spiritus-Sanctus dicitur contristatus.

Inst. Idem Dionysius, ibidem docet sanguinem Christi non esse corruptibilem.

Resp. Intelligit non esse putredini obnoxium, vel potius hoc intelligit de sanguine Christi post resurrectionem contra Paulum Samosatenum, qui docebat sanguinem Christi in eo statu in quo nunc est, atque etiam in Eucharistia esse corruptibilem.

Obj. 6. Aliqui Patres videntur sentire carnem Christi fuisse incorruptibilem.

Resp. Solum volunt eam fuisse immunem à corruptione quæ ex peccato sequitur, & à putredine: non verò à passione & dolore.

Obj. 7. Clemens Alexandrinus, lib. 6. stromatum ait de Christo: *Ipse autem passionis erat expers; ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, nec dolor.*

Resp. Hic accuratè locutus non est. Sed intelligi debet de passione, & affectionis motibus indeliberatis, vel inordinatis.

Obj. 8. S. Cyrillus Alexand. l. 9. de adoratione in Spiritu & veritate ait:

Incor-

Incorruptibile namque est Christi corpus, & Divinam in se ipso naturam habet.

Resp. Per incorruptibile ibi intelligit immune à putredine, vel à resolutione in prima elementa, non vero incapax læsionis., passionis & doloris, nam sæpe docet Christum vere esuvirisse, & passum esse dolores. Igitur ibi solùm vult, Christi corpus hoc ipsó, quòd fuit Verbo unitum in perpetuum, non potuisse desinere esse per putredinem, vel resolutionem. in prima elementa.

Obj. 9. S. Maximus Homil. 1. de Jejunio, & S. Augustinus, Tract. 49. in Joann. docent Christum ex sola voluntate passum esse. Ergo non passus est etiam ex conditione suæ carnis passibilis.

Resp. Illi Patres solùm volunt Christum non ineluctabili necessitate, doloribus & infirmitatibus subjectum fuisse, sed necessitate quam sibi sponte ac libere imposuit, dum naturam humanam passibilem & doloribus obnoxiam sponte ac liberè assumpsit, & in ea liberé pati voluit ad redimendos homines.

Obj. 10. S. Hilarius, l. 10. de Trinitate docet Christum non habuisse doloris sensum: *in quo* (Christo) inquit, *quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet .... Afferrent quidem hæc impetum passionis,*

onis, non tamen dolorem passionis inferrent. Idque explicat exemplis aquæ, ignis, aeris, quæ si verberentur, perforentur, aut dividantur, non sentiunt.

Resp. 1. Aliqui putant Hilarium re vera ibi hunc docuisse errorem, sed postea retractasse; nam catholicam veritatem clarè tradit, in commentario super Psalmos, sic enim, in Psal. 53. de Christo ait: *Esurivit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, mœstus fuit, & flevit, & passus & mortuus est.*

Resp. 2. S. Doctor rectè potest secum conciliari. Nam ibi agit contra Arianos asserentes Divinitatem in Christo doloribus cæterisque infirmitatibus subjectam fuisse, ideoque Christum etiam ut Verbum inferiorem esse Patri. *Volunt* (inquit, eodem l. 10. de Trinit. n. 9.) *plerique eorum* (Arianorum) *non in natura eum impassibilis Dei fuisse: ut qui timuit, & doluit, non fuerit vel in ea potestatis securitate quæ non timet, vel in ea Spiritus incorruptione quæ non dolet: sed inferioris à* Deo *Patre naturæ, & humanæ passionis trepidaverit metu, & ad corporalis pœnæ congemuerit atrocitatem.* Quare doloris sensum & passiones excludit à Christo quatenus Deus est, non quatenus homo est & solum vult ex veris passionibus humanitatis Christi non commotam nec doloris sensu affectam fuisse Divinitatem, perinde

perinde ac ſi *Telum aliquod aquam perforet, aut ignem compungat, aut aera verberet.*

Dices. S. Hilarius in eodem libro agit etiam de corpore Chriſti.

Reſp. Solùm vult Chriſtum ut hominem non paſſum fuiſſe dolorem qualem nos patimur, qui nempe à peccato eſt, inde-liberatus, impotens, ineluctabilis, & qui mentem perturbat. Unde à Chriſti humanitate ſolùm defectus & imperfectiones excludit, quæ noſtris doloribus ac infirmitatibus annexæ ſunt.

Quæres 1. *Utrùm Chriſtus aſſumpſerit omnes defectus corporis?*

Reſp. 1. Chriſtus aſſumpſit omnes defectus & infirmitates corporis communes toti naturæ humanæ, quæ ipſum non dedecebant, cujuſmodi ſunt paſſibilitas, mortalitas, fatigatio, ſitis, fames. Patet ex dictis, & ex Apoſtolo, Hebr. c. 4. aſſerente Chriſtum fuiſſe *tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Has rationes affert S. Thomas, 3. p. qu. 14. a. 1. nempe ad ſatis faciendum pro peccatis noſtris, ad probandum ſe eſſe verum hominem, & ad præbenda patientiæ exempla.

Reſp. 2. Chriſtus non aſſumpſit defectus ſpeciales corporis, quæ ex ſingulari cauſarum ſecundarum diſpoſitione naſcuntur, quales ſunt morbi & deformitas.

Ratio

Ratio est ex S. Thoma, a. 4. Quia ejusmodi defectus oriuntur communiter vel ex culpa hominis, putà intemperantia, vel ex defectu virtutis formatricis, Christus autem ex nulla culpa defectum aliquem contrahere potuit, & corpus ejus formatum est ex virtute Spiritus Sancti, quæ deficere non potest. Præterea non decebat Christum assumere defectus, qui vel ex aliqua culpa actuali hominum, vel ex virtutis formativæ defectu oriuntur. Quare S. Chrisostomus, Homil. 28. in Matth. ait de Christo: *Ut in faciendis signis erat mirabilis, sic visu gratiosus traditur fuisse.*

Quæres 2. Utrum in Christo fuerit concupiscentia?

Resp. 1. Fomes peccati, seu concupiscentia mala, sive actualis, sive habitualis non fuit in appetitu sensitivo Christi.

Prob. 1. pars. Nam concupiscentia actualis mala in appetitu sensitivo est actualis motio appetitus sensitivi ad sensibile turpe & illicitum, rationem præveniens, & ad peccatum inclinans. At talis motio non fuit in Christo; cùm sit per se indecens, & rationi repugnet, nec utilis sit ad redemptionis humanæ opus, sed potiùs illi per se adversetur. Ergo concupiscentia actualis mala non fuit in Christo.

Prob. 2. pars. Quia concupiscentia mala ha-

la habitualis, quæ est potentia permanens, expedita ad excitandas motiones circa sensibilia turpia & illicita, rationem prævenientes, & ad peccatum incitantes, repugnat perfectissimæ Sanctitati Christi, cujus appetitus sensitivus perfectissimè subdebatur rationi.

Resp. 2. Non fuit concupiscentia mala actualis neque habitualis in intellectu & voluntate Christi. Nam propter rationes allatas, neque intellectus Christi pronus fuit ad actus indeliberatos erroris ac deceptionis: neque ejus voluntas prona fuit ad motiones indeliberatas odii, invidiæ, superbiæ, sicut est in hominibus originali peccato inquinatis.

Resp. 3. Christus habuit concupiscentiam sumptam pro appetitu sensitivo sed recto, qui est vis appetendi vel aversandi sensibilia secundùm rectam rationem. Nam est facultas humana, quæ Christum minimè dedecebat.

Nullus tamen fuit in Christo actus indeliberatus, & rationem præveniens, ut constat ex Patribus. Unde illud Joann. cap. 11. *turbavit se ipsum.* Quo significatur omnem Christi motionem ab illo in se liberè ac sponte excitatam fuisse.

Quæres 3. Utrùm fuerint in Christo passiones.

Nota. Passiones sunt actus animæ appetitivæ ex prævia apprehensione imaginationis: sive sunt actus animæ ex prævia cõmotione ac passione in corpore facta. Et anima, quatenus tales actus elicere potest, dicitur appetitus sensitivus.

Resp. Fuerunt in Christo passiones, sed rectæ, moderatæ, & nunquam rationem prævenientes. Ita S. Thomas 3. p. q. 15. a. 4. his verbis: *Propriissimè dicuntur passiones animæ affectiones appetitus sensitivi; quæ in Christo fuerunt sicut & cætera quæ ad naturam hominis pertinent. Unde Augustinus dicit, in* 14. *de civit.* Dei: *ipse Dominus in forma servi vitam agere dignatus humanam, adhibuit eas, ubi adhibendas, esse judicavit: neque enim in quo verũ erat hominis corpus & verus hominis animus falsus erat humanus affectus. Sciendũ tamen est, quòd hujusmodi passiones aliter fuerunt in Christo quam in nobis, quantùm ad tria. Primò quidem quantum ad objectum: quia in nobis plerumque hujusmodi passiones feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. Secundo quantum ad principium: quia hujusmodi passiones frequenter in nobis præveniunt judicium rationis: sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundùm dispositionem rationis. Tertio quantùm ad effectum: quia in nobis quandoque hujusmodi motus non sistunt in apperitu sensitivo, sed trahunt rationem: quod in Christo non*

fuit;

fuit; quia motus naturaliter humanæ carni convenientes, sic in ejus dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere quæ conveniebant. Hinc passiones Christi dicuntur *propassiones*.

ARTICULUS X.

Utrùm in Christo fuerint duæ voluntates & volitiones.

§. I.
Notanda.

I. SOlam voluntatem Divinam in Christo admittebant Apollinaristæ, docentes in eo Verbum fuisse pro anima rationali: solam humanam Nestoriani, asserentes Christum esse purum hominem. Unam quoque voluntatem Christo tribuebant Eutichiani, unicam in eo agnoscentes naturam. Sed præter illos septimo sæculo imperante Heraclio, exorti sunt novi Hæretici, qui licet in Christo duas naturas saltem verbo tenus profiterentur, unicam in eo voluntatem admittebant, unde dicti sunt Monothelitæ. Horum Hæreticorum duces primarii fuerunt Sergius Constantinopolitanus, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Macharius Patriarcha Antiochenus, Pyrrhus & Paulus Sergii successo-

res in Sede Constantinopolitana, Theodorus Pharanitanus: sectæ verò author fuit Athanasius Jacobitarum Patriarcha.

II. Mortuo Honorio summo Pontifice, anno sequenti nempe 630. Ecthesim seu fidei expositionem à Sergio factam promulgavit Heraclius Imperator, in qua prohibebatur, ne quis unam vel duas diceret operationes in Divina Domini Incarnatione, & asserebatur unicam in Christo esse voluntatem, nempe Divinam, ut patet ex his verbis: *Unde Sanctos Patres in omnibus & in hoc sequentes, unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei confitemur, utpote in nullo tempore animati intellectualiter ejus corporis separatim, & ex proprio impetu contrariè motui uniti ei Dei Verbi secundùm Hypostasim naturalem ejus producere motionem, sed quando & qualem & quantam ipse* Deus *Verbum voluerat.*

III. Heraclii Ecthesim constanter repudiavit & damnavit Severinus, Honorii successor, ut testatur Martinus I. in fine Secretarii tertii Concilii Lateranensis, & eodem anno exeunte mortuus est. Ei successit Joannes IV. qui in Concilio Romano Ecthesim & Monothelitarum hæresim damnavit, & Apologeticam pro Honorio ad Constantinum Heraclii filium scripsit Epistolam. Joanni IV. defuncto sufficitur

Theo-

Theodorus, qui omnem curam & operam posuit, in abolenda Heraclii Ecthesi & Monothelitarum Hæresi, atque Pyrrhum & Paulum depositionis & excommunicationis sententia mulctavit. Ejus successor Martinus I. Monothelismi Hæresim cum ejus præcipuis defensoribus, & Heraclii seu Sergii Ecthesim, atque Constantis Typum, quo dissensiones & altercationes impediendi causa seu prætextu prohibebatur, ne deinceps una aut duæ voluntates, una aut duæ operationes dicerentur, in Concilio Romæ coacto damnavit. Quam ob causam Martinus multa perpessus, in exilio Martyrium gloriosè consummavit. Denique sub Agathone Papa convocata est sexta Synodus Generalis Constantinopoli, præsidentibus ejus Legatis, quæ Monothelismi Hæresim jam proscriptam damnavit, & à Leone II. confirmata fuit. Huic Hæresi fortiter etiam obstiterunt imprimis S. Sophronius Monachus, postea Patriarcha Jerosolymitanus, & S. Maximus Abbas & postea Martyr.

IV. Controversia est de sensu, quo Monothelitæ unicam in Christo voluntatem admiserint, an scilicet unicam facultatem volendi, an verò unicum actum volendi intellexerint. Nam Hæretici illi errorem suum non semper eodem modo defende-

 runt,

runt, & fortaſſe non omnes in eodem ſenſu intellexerunt: verum ſaltem plerique in eo errorem ſuum poſuiſſe videntur, quod unicam voluntatem eamque Divinam in Chriſto admitterent, per voluntatem intelligentes volitionem ſeu actum voluntatis; volebantque ſolam Divinitatem in Chriſto agere & determinare, humanitatem vero eſſe quoddam paſſivum inſtrumentum. *Operatur quippe Deitas per corpus .... Ut ſit carnis quidem paſſio, Dei autem operatio*, ait Sergius, in ſua ad Honorium Epiſtola, quæ lecta fuit in ſexta Synodo, actione 12. *oportet igitur*, inquit Theodorus Pharanitanus, in libro ad Sergium ſcripto, *ita ſapere & dicere nos omnia quæ in Incarnatione Salvatoris Chriſti dicuntur eſſe, unam operationem eſſe, hujus autem Opificem & Creatorem*, Deum *Verbum: organum vero humanitatem conſiſtere. Ergo quæque velut de* Deo *aut humane de ipſo dicuntur, omnia una operatio eſt, Verbi* Divinitas.

Igitur Monothelitæ non negarunt facultatem humanam volendi, ſeu appetitum rationalem, ſed tantum actum volendi humanum, & propriam determinationem voluntatis; repudiabantque ſolùm operationem, quæ eſſet ex propria determinatione voluntatis humanæ. Nempe volebant ſolam voluntatem Divinam Verbi per ſe im-

mediate

mediatê determinare voluntatem humanam, & cæteras humanitatis facultates, eas applicando ad agendum; hancque applicationem ac determinationem factam à Verbo vocabant fimpliciter operationem, quæ cum fit ejufdem rationis, dicebant unicam effe in Chrifto operationem: humanitatis verò actiones, quæ confequebantur ex illa determinatione, vocabant operata feu paffiones, eo quòd voluntas humana in illis haberet fe ut paffivè; & complexum ex applicatione feu determinatione Verbi & actione humanitatis appellabant operationem Dei virilem feu Theandricam.

Verùm quocumque fenfu errorem fuum intellexerint Monothelitæ, certum eft fidem catholicam negare unicam in Chrifto facultatem volendi, & unicam operationem, feu volitionem, admittereque duas facultates volendi, & duas volitiones liberas ac proprias determinationes, Divinitatis fcilicet & humanitatis.

§. II

Dico 1. In Chrifto fuerunt duæ volitiones, divina & humana. Sive præter actum volendi Divinum fuit etiam actus volendi humanus. Eft de fide.

Prob.

Prob. 1. Ex Scriptura Joann. c. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Matth. c. 26. *Pater mi, si possibile est, transeat à me Calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et Luc. 22. *non mea voluntas; sed tua fiat.* Quibus locis aperte significatur in Christo actus volendi humanus, distinctus à volitione Divina Patris, quæ est eadem ac Verbi. Ergo in Christo fuit actus volendi humanus, & actus volendi divinus.

Prob. 2. Ex Patribus, quorum textus in Conc. Romano sub Martino I. & in Epistola Agathonis Papæ à Concilio sexto approbati referuntur. Pro omnibus sint S. Athanasius, in sermone contra Apollinarium, in quo ad hæc Christi verba (*Pater si possibile est, transeat, &c.*) sic ait: *duas voluntates hic ostendit, tam humanam, quod est carnis, quàm Divinam, quod est Divinitatis. Humana quidem propter infirmitatem carnis recusat passionem:* Divina *autem ejus est promptissima.* S. Ambrosius, serm. 2. ad Gratianum, ubi de Christo ait: *suscepit ergo voluntatem meam, suscepit tristitiam meam* S. Augustinus, l. 2. contra Maximum, c. 20. *in hoc, quod ait* (Christus) *non quod ego volo: aliud se ostendit voluisse quam Pater: quod nisi humano corde non potuisset, cum infirmitatem nostram in suum, non in* Divinum, *sed humanum*

manum transfiguraret affectum. Homine quippe non assumpto, nullo modo Patri diceret unicum Verbum, non quod ego volo. Nunquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle quam Pater.

Prob. 3. Ex Conciliis, videlicet Chalcedonensi, actione 5. definiente in Christo duas esse naturas inconfusè, *salva proprietate utriusque naturæ*; ex Concilio Lateranensi sub Martino I. multis Canonibus; & ex Concilio sexto Generali act. 18. in definitione fidei, ubi ait: *duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè secundùm Sanctorum Patrum doctrinam adæquè prædicamus, & duas naturales voluntates, non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt Hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem, sed potius & subjectam Divinæ ejus atque omnipotenti voluntati.*

Prob. 4. Ratione Theologica. Ex Scriptura, Patribus, & Conciliis Christus est perfectus Deus, & perfectus homo, habet duas naturas integras ac distinctas, divinam & humanam, & utriusque naturæ perfectiones ac proprietates. Atqui facultas volendi humana est perfectio naturæ humanæ & quidem essentialis, & actus volendi humanus est proprietas naturalis

turalis humanitatis. Idem dic de Divina. Ergo Christus habet facultatem volendi humanam, & actum volendi humanum sicut facultatem volendi divinam, & actum volendi divinum.

Præterea fide constat Christum meruisse, & satisfecisse pro peccatis nostris. Atqui actus Christi non potuerunt esse meritorii & satisfactorii, nisi essent producti à voluntate humana libera: nam divina voluntas non potest per suos actus mereri proprie & satisfacere, hoc enim inferioris naturæ est. Ergo.

Dico 2. In Christo fuerunt duæ facultates volendi, nempe præter facultatem volendi divinam, fuit etiam facultas volendi humana.

Est de fide, & sequitur evidenter ex prima assertione. Nam actus volendi humanus seu volitio humana est essentialiter à facultate volendi humana, & volitio divina est essentialiter à facultate volendi divina. Ergo si in Christo duæ sunt volitiones, divina & humana, sunt quoque in eo duæ facultates volendi divina & humana. Præterea hoc utrumque expresse definiit Synodus sexta generalis, act. 18. cit. adhuc tamen prob. nam ex Scriptura & Patribus Christus est perfectus homo; & ex Patrum consensu Ver-

bum

bum assumpsit omnes perfectiones naturales humanitatis. Facultas autem volendi est humanitatis perfectio naturalis. De divina facultate volendi consentiunt Hæretici.

Item ex Scriptura, Patribus, & Conciliis Verbum assumpsit animam rationalem humanam. Sed anima rationalis est essentialiter volitiva sicut intellectiva. Ergo. Denique ex Apostolo, Patribus, & Conciliis, Christus nobis per omnia similis fuit, exceptis: peccato, concupiscentia mala, & ignorantia. Ergo habet facultatem volendi humanam.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. S. Dionysius vulgo Areopagia, l. de Divinis nominibus dicit, *unam esse in Christo Dei virilem actionem.* Et Epist. 4. ad Cajum ait: *Deo viro facto, novam quamdam Theandricam, seu Dei virilem operationem expressit* (Christus) *in vita.*

Resp. 1. Textus ab Hæreticis Monothelitis corruptus fuit, & Dionysius scripsit *novam*, non verò *unam Dei virilem actionem*, ut docent Concilia Lateranense sub Martino I. & sextum generale.

Resp.

Resp. 2. Cum S. Maximo una Theandrica seu Dei virilis actio dici potuit à S. Dionysio, non in sensu Monothelitarum, sed eò quòd actio humanitatis esset à Verbo denominative ut supposito. Nam omnis actio humanitatis & volitio humana est ab humanitate ut à principio productivo ac determinativo, & à Verbo ut à principio denominante; actiones enim sunt suppositorum. Brevius. Actio Christi dicitur una propter unitatem suppositi agentis in duabus naturis, Dei virilis veró seu Theandrica, quia est Dei hominis.

Porro. Si qui dixerint unam in Christo voluntatem divinam, nil aliud intelligunt, nisi quod omnis actio Christi esset conformis voluntati divinæ, ita ut volitio humanitatis esset moraliter, non physice, una & eadem cum voluntate divina. Nam Patres omnes duas agnoscunt in Christo voluntates & volitiones.

Obj. 2. S. Anathasius, l. de salutari Adventu Christi ait, Christum *fuisse sine carnalibus voluntatibus & cogitationibus humanis, quia solius divinitatis voluntas in eo fuit.*

Resp. Hic locus truncatus fuit, ut observatum fuit in sexta Synodo generali, actione 8. & S. Doctor ibi, non volitiones simpliciter humanas, sed solum voluntates

luntates carnales, & cogitationes humanas pravas à Christo excludit. Cum autem ait voluntatem Christi *solius fuisse Divinitatis*, intelligit solum quantum ad regimen ac directionem: Christi enim Divinitas Verbo identificata tanquam domina omnes humanitatis actiones specialiter regebat ac moderabatur.

Obj. 3. S. Gregorius Nyssenus contra Eunomium dicit, *Divinitatem per corpus, quod induit, hominum omnium re-vera salutem operari, ut propria sit carnis perpessio, Dei autem operatio.*

Resp. Per carnis perpessionem intelligitur etiam pœnarum acceptatio libera, quæ est actio voluntatis humanæ. Et sensus hujus loci est, Dei operationem in humanæ redemptionis negotio primas tenere, & humanitatis actiones regere.

Obj. 4. S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 4. in Joann. ait: *Cùm Principis Synagogæ filiam suscitavit, dicens, filia surge, apprehendit manum ejus, ut scriptum est. Eam nempe omnipotenti suo jussu ut Deus, & rursus tactu sanctæ carnis vivificando, unam & cognatam per ambas naturas ostendit operationem.*

Resp. S. Cyrillus puellæ suscitationem vocat & unam cognatam operationem, unitate scilicet suppositi seu personæ operantis in duabus naturis & per duas naturas invicem

invicem ſubſtantialiter unitas in perſonalitate Verbi, ita ut illæ ambæ naturæ producant & determinent actiones ſibi proprias. Sic in hac ſuſcitatione puellæ natura Divina agebat per ſuam omnipotentiam, & humanitas per contactum ab humana ſua voluntate imperatum.

Obj. 5. Ex SS. Athanaſio & Cyrillo Verbum utebatur humanitate ut inſtrumento & organo. At inſtrumentum non habet operationem propriam & diſtinctam ab operatione cauſæ principalis. Ergo.

Reſp. Diſting. maj. Verbum utebatur humanitate ut inſtrumento activo ac libero, quod eſſet ſuarum propriarum operationum principium productivum & determinativum, *conc. maj.* ut inſtrumento inanimi, & quod non eſſet ſuarum operationum principium determinativum ac productivum, *neg. maj,* & *diſtincta ſimiliter minore nego conſeq.* Patres ſolum volunt Verbum uſum fuiſſe ſua humanitate ad humanæ redemptionis opus perficiendum: ad quod neceſſarii fuerunt actus meritorii & ſatisfactorii humanitatis, qui proinde ab illa libere elicerentur.

Obj. 6. Actiones ſunt ſuppoſitorum. Ergo ubi eſt unica perſona, ibi eſt unica operatio

Reſp. Diſtinguo anteced. Actiones ſunt ſub-

ſuppoſitorum denominativè, id eſt, tribuuntur ſuppoſito ut toti cuidam, & illud denominant agens, *conc. antec.* actiones ſunt ſuppoſitorum, ſeu productive, id eſt, producuntur immediate à ſuppoſito per ſuam ſubſiſtentiam ſeu perſonalitatem, *nego ant. & conſeq.* ſola natura eſt principium elicitivum operationum: nam ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas ut perſonalitas præcisè non eſt activa, cum ſit merus naturæ terminus ac ultimum complementum. Unde perſona ſeu ſuppoſitum, quod appellatur principium *quod* actionis, non agit niſi per naturam, cujus tamen actiones tribuntur ſuppoſito ut toti cuidam & illud denominant agens, quamvis non agat per perſonalitatem, ſed ſolum per naturam. Quare unitas vel multiplicitas actionum ſumitur ab unitate & multiplicitate naturæ.

Inſt. Voluntas eſt proprietas perſonalis. Ergo.

Reſp. Nego anteced. Sed eſt proprietas naturæ intellectualis. *Sanè quidem ſimpliciter velle natura eſt*, ajebat S. Maximus, in collatione cum Pyrrho habita. Et verò ſi voluntas eſſet proprietas perſonalis, tres eſſent in Trinitate voluntates divinæ realiter diſtinctæ, cùm in ea ſint tres perſonalitates realiter inter ſe diſtinctæ.

Obj.

Obj. 7. Fieri non poteſt, ut in eadem perſona duæ ſimul ſint voluntates quin una alteri adverſetur. Ergo ſi in Chriſto duæ fuerunt voluntates & volitiones, illæ fuerunt inter ſe contrariæ, quod dici nequit.

Reſp. Nego anteced. Itaque humana voluntas Chriſti nullos habuit actus contrarios voluntati divinæ, ut fide conſtat. Tùm ex illo, Joann. c. 6. *Deſcendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam* (humanam,) *ſed voluntatem eius qui miſit me.* Et, c. 8. *ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper:* tùm ex definitione ſexti Concilii Generalis ſuprà citata. Ratio eſt, quia voluntas humana Chriſti fuit ſemper rectiſſima & ſanctiſſima; nec in illa potuit eſſe ulla inordinatio, fuiſſet autem inordinatio, ſi non fuiſſet ſemper conformis voluntati divinæ. Igitur omnis actus voluntatis humanæ Chriſti tùm efficax, tùm etiam inefficax ſemper fuit ſecundùm ſe perfectè conformis voluntati divinæ ut regulæ, hoc eſt, fuit talis qualem Deus voluit eſſe; & Chriſtus ſemper voluit quod Deus voluit eum velle, & eo modo voluit quo Deus volebat eum velle.

Inſt. 1. Chriſtus habuit voluntatem inefficacem vitandi mortem & ſupplicia, juxta illud, Matth. 26. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte.* At talis actus fuit contrarius voluntati divinæ. Ergo Chriſtus

habuit

habuit actum contrarium voluntati divinæ.

Resp: Nego min. Nam Deus volebat, ut Christus haberet illum actum inefficacem, nempe ut simplici displicentia refugeret mortem ac passionem tamquam naturæ suæ disconvenientem, ad excitandum majorem passionis dolorem, & sic magis patiendum, atque ad nostrum exemplum ac solatium. Et Christus mortem nolebat simplici displicentia ex eodem motivo sub quo displicebat Deo, ita ut per illam displicentiam quam Deus volebat eum habere, meritus sit. Unde voluntas divina & voluntas humana Christi idem volebant efficaciter, & nolebant inefficaciter, sub diverso respectu.

Inst. 2. Deus volebat efficaciter, ut Christus moreretur. Ergo volitio non moriendi adversabatur divinæ voluntati.

Resp.. Nego conseq. Nam volitio inefficax & conditionata vitandi mortem ut naturaliter malam, non adversabatur actui, quo Deus volebat efficaciter Christum pati & mori, cùm illius executionem non impediret, nec actui quo Christus ipse ut homo voluit efficaciter mortem ac passionem suam ut præceptam à Patre, & hominibus salutarem, cùm hunc actum nec excludere nec retardare potuerit.

Dices. Volitio efficax, & nolitio inefficax ejusdem rei sunt actus contrarii.

Resp. Nego. Actus enim efficax, quo quis vult aliquid, & actus inefficax quo idem non vult, sed propter diversum motivum, præsertim si illi actus omninò liberi sint, ut fuerunt in Christo, nullam habent inter se oppositionem & repugnantiam. Quod etiam patet, exponendo hos actus voluntatis Christi: volo vitare mortem secundùm se spectatam & ut molestam naturæ si sit æqualis Dei gloria & voluntas: volo efficaciter mortem ut gratam ac gloriosam Deo, & hominibus salutarem.

Porro cùm dicitur una est Dei & Sanctorum voluntas, hoc intelligitur, non physicè & secundùm entitatem, sed moraliter & quo ad objectum, ita ut sensus sit sancti idem volunt quod Deus.

Nota. Voluntas humana Christi habuit actus honestos in omni specie virtutis, quæ actum perfectiorem non excluderet. Habuit quoque actus libros, ut acceptationem mortis, & necessarios, ut amorem beatificum.

Quæres, quotuplicis generis fuerint operationes Christi?

Resp. Triplicis. Nam ex operationibus Christi aliquæ sunt divinæ, seu quæ fiunt à Christo tantùm ut Deus est, sive quæ à sola divinitate absque ulla actione humanitatis etiam ut causæ instrumentalis fiunt: tales

sunt

ſunt actiones creativæ animarum rationalium, conſervatio mundi, concurſus Divinus ad omnes actiones creaturarum. Aliæ ſunt humanæ, eæ nimirum, quæ naturæ humanæ propriæ ſunt, ut actus amoris à voluntate humana elicitus, & intellectio humana Chriſti: tales etiam fuerunt locutio, comeſtio, fletus, paſſio, quæ tamen ſunt actiones Dei denominativè, quatenus actiones ſunt ſuppoſitorum. Aliæ demum mixtæ, & ſunt eæ in quibus agit utraque natura, ut cùm Chriſtus ſuo contactu miracula patrabat: nam tunc agebat natura Divina per ſuam omnipotentiam, humana verò per ſuum contactum. Hæ actiones dicuntur ſpecialiter Theandricæ, quia continent actionem divinitatis & actionem humanitatis unitæ divinitati, licèt inter ſe diſtinctas & inconfuſas. *Ipſe Dominus noſter Ieſus-Chriſtus* (inquit Agatho Papa, in ſua ad Imperatorem Epiſtola) *qui verus & perfectus Deus, verus & perfectus homo eſt in ſacris Evangeliis proteſtatur in aliquibus humana, in aliquibus divina, & ſimul utraque in aliis de ſe patefaciens, ut ſe verum* Deum, *verumque hominem credere ac prædicare Fideles ſuos inſtrueret.*

Obſerva. Cùm omnes errores adversùs Incarnationem hactenus expoſitos damnet, & veritates oppoſitas declaret, Myſteriumque illud clarè tradat definitio Concilii Generalis

neralis sexti sub Agathone, & à Leone II. confirmati, quod est Constantinopolitanum tertium, juvat hic illam referre, quæ sic, actione 18. habetur: *Assecuti quoque Sancta quinque universalia Concilia, & Sanctos atque probabiles Patres, consonanterque confiteri definientes Dominum nostrum Jesum-Christum verum Deum nostrum, unum de Sancta & Consubstantiali & vitæ originem præbente Trinitate, perfectum in Deitate, & perfectum eumdem in humanitate,* Deum *verè, & hominem verè, eumdem ex anima rationali & corpore; Consubstantialem Patri secundùm* Deitatem *& Consubstantialem nobis secundùm humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato, ante sæcula quidem ex Patre genitum secundùm* Deitatem, *in ultimis diebus autem eumdem propter nos & propter nostram salutem de Spiritu-sancto & Maria Virgine propriè & veraciter Dei Genitrice secundùm humanitatem, unum eumdemque Christum Filium* Dei *Unigenitum, in duabus naturis inconfusè inconvertibiliter, inseparabiliter, indivisè cognoscendum, nusquam extincta harum naturarum differentia propter unitionem, salvataque magis proprietate utriusque naturæ, & in unam personam & in unam subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum vel divisum, sed unum eumdemque Unigenitum Filium Deum Verbum Dominum Nostrum Jesum-Christum; & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales opera-*

perationes indivisè, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè secundùm Sanctorum Patrum doctrinam adæquè prædicamus; & duas naturales voluntates non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt Hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, & non resistentem vel reluctantem, sed potiùs & subjectam divinæ eius atque omnipotenti voluntati...... His igitur cum omni undique cautela atque diligentia à nobis formatis, definimus aliam fidem nulli licere proferre, aut conscribere, componere, aut sapere, vel etiam aliter docere.

APPENDIX
DE HONORIO I. PAPA.
Utrùm fuerit Monothelita?

§. I.

Nota. CUm Sergius Constantinopolitanus Episc. ad Honorium callidè scripsisset Sophronium continuò prædicare duas operationes in in Christo, & hac prædicatione grave scandalum, perturbationes & contentiones magnas excitare, ideoque ad hæc mala vitanda necesse esse indicere silentium circa duplicem & unam operationem: Honorius incautè consensit Sergio in duabus epistolis ad ipsum rescriptis, in quibus asserit abstinendum esse ab appellatione

ne

ne unius & duplicis operationis. *Hæc nobiscum* (inquit, in fine 1. epistolæ) *Fraternitas vestra prædicet sicut & nos ea vobiscum unanimiter prædicamus, hortantes vos, ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum-Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum in duabus naturis operatum divinitùs, atque humanitus, fide orthodoxa & unitate Catholica prædicetis.* Quocirca quæritur utrum Honorius vere consenserit hæresi unius voluntatis.

Dico. Honorius non fuit Monothelita, seu non docuit nec tenuit errorem unius voluntatis & operationis in Christo.

Prob. 2. Auctoritate Joannis IV. qui fuerat Honorii Secretarius, in apologia pro Honorio ad Constantinum Imperatorem scripta; S. Maximi, in Dialogo cum Pyrrho; Anastasii Bibliothecarii; & omnium ferè Theologorum, qui Honorium ab omni hæresi vindicant, paucis exceptis, iisque teste Garnerio, suspectæ aliunde fidei, vel non maximæ auctoritatis.

Prob. 1. Tum quia nulla est Honorii proposito, quæ unam voluntatem ac operationem afferat in sensu hæretico, ut patebit objectionum solutione, tum quia diserte profitetur duas voluntates & operationes, sic enim, in secunda ad Ser-

gium

gium epiſtola ait: *utraſque naturas] in uno Chriſto unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices & divinam quidem quæ Dei ſunt operantem, & humanam quæ carnis ſunt exequentem.* Quid clarius dici poteſt contra hæreſim unius operationis & voluntatis? Nam ſi utraque natura eſt operans & operatrix, ſi natura divina quæ Dei ſunt operatur, & humana quæ carnis ſunt exequitur; ergo ſunt in Chriſto duæ operationes diverſæ ac diſtinctæ ſicut naturæ.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Honorius, in epiſt. 1. ad Sergium ait: *unde & unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti.* At hæc propoſitio continet hæreſim Monotheliſmi. Ergo.

Reſp. His verbis Honorius intelligit unam voluntatem humanam ſemper rationi & Deo conſentientem, non autem unam abſolutè & ſimpliciter voluntatem, eamque divinam. Quare hæc Honorii propoſitio prout jacet in ejus epiſtola, & ſecundùm ſenſum ab eo intellectum non eſt hæretica. Nam hæc propoſitio in epiſtola Honorii hunc habet ſenſum, nempè quòd in Chriſto una ſit voluntas humana, quæ eſt propria ſpiritus,

tus, ut patet ex contextu, & ratione quam subjicit. Idque dixit contra eos, qui à Sergio per calumniam dicebantur attribuere Christo duas voluntates humanas inter se contrarias, voluntatem scilicet spiritus, & voluntatem carnis, seu concupiscentiam inordinatam. Quare Honorius per hanc propositionem neque voluntatem divinam, neque humanam, neque proprias utriusque operationes, sed tantùm motus appetitus sensitivi inordinatos voluntati rationali cõtrarios, seu concupiscentiam adversùs spiritum rebellantem excludit.

Hoc constat 1. ex contextu ipsius epistolæ Honorii: *unde* (ait) *& unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profectò à Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa illa profectò quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata.* Et paulò post: *non est itaque assumpta sicut præfati sumus, à Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus, sed venit quærere & salvare quod perierat, id est, vitiatam humani generis naturam: nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanæ conditionis, &c.* Igitur ratio, propter quam Honorius dicit unam esse voluntatem Christi, est quia Verbum assumpsit naturam humanam rectam, non culpam originalem, ex

qua

qua in nobis voluntatum ſeu appetituum contrarietas, ſive appetitus ſenſitivi adverſùs rationalem rebellio exorta eſt, quæ ratio probat tantùm unam fuiſſe in Chriſto humanam voluntatem ſemper rectæ rationi & voluntati divinæ conſentientem: nullatenus verò ſine evidentiſſima abſurditate, ſeu potiùs amentia afferri potuit ad probandum non fuiſſe in Chriſto voluntatem humanam, ſed ſolam divinam: alioqui ſequeretur Adamum in ſtatu innocentiæ nullam habuiſſe voluntatem humanam.

2. Ex Joanne Papa IV. in apologia pro Honorio ad Conſtantinum Heraclii filium, ubi ait: *prædictus ergo deceſſor meus* (Honorius) *docens de myſterio Incarnationis Chriſti, dicebat non fuiſſe in eo, ſicut in nobis peccatoribus mentis & carnis contrarias voluntates: quod quidam* (Monothelitæ ſcilicet) *ad proprium ſenſum convertentes, divinitatis ejus* (Chriſti) *& humanitatis unam eum* (Honorium) *voluntatem docuiſſe ſuſpicati ſunt, quod veritati omnimodis eſt contrarium.*

3. Ex Joanne Sympono Abbate qui fuerat Honorii Amanuanſis, & ejus nomine epiſtolam ad Sergium ſcripſerat, quique in epiſtola ab eo Joannis IV. juſſu ad Conſtantinum Imperatorem ſcripta ſic loquitur: *Unam voluntatem diximus in* Domino, *non divinitatis ejus & humanitatis; ſed humanitatis ſolius.*

ſolius. Cùm enim Sergius ſcripſiſſet, quòd quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent, diximus Chriſtum non duas voluntates contraria habuiſſe, carnis, inquam, & ſpiritus, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatem ſignabat.

4. Ex S. Maximo, in ſua ad Marinum Presbyterum epiſtola, ubi ait: *Honorium etiam Romanum Papam non diffiteri, reor naturaliter in Chriſto voluntatum dualitatem in epiſtola quam ſcripſit ad Sergium, eò quòd unam dixerit voluntatem, ſed potiùs confiteri & hanc fortaſſis etiam conſtabilire. Nam hoc non in reprobationem dixit humanæ Salvatoris & naturalis voluntatis: ſed quòd nullatenùs conceptionem ejus, quæ fuit ſine ſemine, vel incorruptam nativitatem præceſſerit voluntas carnis, vel cogitatio vitioſa.* Quod deinde ex ipſius Honorii verbis oſtendit. Et in diſputatione cum Pyrrho contendit legitimum epiſtolæ Honorii ſenſum reſciendum eſſe à Joanne Abbate, qui eam Honorii juſſu ſcripſit. *Quis* (inquit) *fuerit fide & auctoritate dignus epiſtolæ hujus Interpres, qui eam ex perſona Honorii ſcripſit, adhuc ſuperſtes, & qui totum occidentem cùm aliis virtutibus, tùm dogmatibus Fidei Chriſtianæ illuſtravit; an ii, qui Conſtantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur? . . . Is igitur ipſe cùm ad ſanctum Conſtantinum Imperatorem ex perſona rurſus ſancti Joannis Papæ de hac epi-*

ſtola

stola scriberet, dixit: unam voluntatem diximus, &c. Ut suprà.

Obj. 2. Sergius, in sua ad Honorium epistola eodem ferè modo locutus est, quo Honorius; & tamen purgari non potest ab hæresi. Ergo similiter Honorius, &c.

Resp. Sergius non eodem modo in omnibus, nec in eodem sensu locutus est; & quamvis in sua epistola artibus & dolis intexta videatur solum postulare, ut sileatur de gemina perinde ac de una operatione, tamen hæresim unius voluntatis docet: nam 1. dicit, si dicantur duæ voluntates, *consequens sit prædicare duas voluntates contrarietates circa invicem habentes.* 2. Approbat capitulum de una operatione inter multa alia constitutum à Cyro Alexandriæ Episcopo cum Eutichianis in unione cum illis facta. 3. In sensu hæretico explicat hanc propositionem, unum Christum operatum esse divina & humana, nempe quatenus verbum moveret, applicaret & determinaret humanitatem sicut anima rationalis regit & movet corpus: unde sequitur voluntatem humanam nullam habere propriam sui determinationem, sed immediate determinari à Verbo sicut corpus determinatur ab anima, ideoque humanitatem se habere merè passivè, esseque in Christo unicam operationen ac determinatio-

minationem propriè dictam, nempe solius Verbi, ficut in homine unica est operatio, quando anima movet corpus. *Et ut planius* (inquit) *dicatur, quemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur, & disponitur ab intellectuali & rationali anima nostra, ita & in Domino nostro tota humana ejus consperfio ab ipsius Verbi deitate semper in omnibus mota, Dei mobilis erat.* Et paulò inferius: *Operatur quippe vere deitas per corpus, quod circa ipsam est, omnium salutem, ut sit quidem carnis passio, Dei autem operatio.* Denique Sergius aperte postea Monothelismum docuit ac disseminavit. Quæ omnia dici non possunt de Honorio.

Obj. 3. Honorius, in sua ad Sergium epistola rejicit vocabulum geminæ operationis.

Resp. Nihilominis admisit rem per hoc vocabulum significatam. Unde non animo hæretico sicut Sergius censuit abstinendum esse ab appellatione geminæ operationis perinde ac unius; sed ad avertendum perturbationes contentiones, & scandala, quæ Sergii artibus deceptus timebat.

Obj. 4. Sexta Synodus generalis damnavit Honorium ut hæreticum, & epistolam ejus ut alienam ab Apostolicis dogmatibus, & definitionibus Conciliorum:

nam,

nam, actione 13. sic de epistolis Sergii & Honorii loquuntur Patres Synodi: *Has invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi verò falsas doctrinas Hæreticorum, eas omninò abjicimus, & tamquam animæ noxias execramur.* Et inferius: *Cum his*, (nempe Monothelitarum Ducibus) *simul projici à Sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus, & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quòd invenimus perscripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Et, actione 16. sic loquuntur: *Theodoro Pharanitano Hæretico Anathema, Sergio Hæretico Anathema, Cyro Hæretico Anathema, Honorio Hæretico Anathema.*

Resp. Triplex est Theologorum responsio. Prima docet cum Baronio acta sextæ Synodi, priusquam ederentur, depravata fuisse à Theodoro, qui defuncto Georgio in Sedem Constantinopolitanam, ex qua dejectus fuerat, restitutus, Honorii nomen, deleto suo substituit. Sed hæc responsio à recentioribus communiter rejicitur, quia 1. Acta Synodi, qualia Romam à Legatis Apostolicis ad Leonem II. allata sunt, à Theodoro, qui nondum in

Sedem Conſtantinopolitanam reſtitutus e-rat, depravari non potuerunt; nec ea à quovis alio depravata acceperunt. Nam ſi depravata accepiſſent, Romam reverſi depravationem detexiſſent Leoni Agathonis ſucceſſori, qui ſane contra eam reclamaſſet in ſuis epiſtolis. 2. Leo II. in epiſtola pro Concilii ſexti confirmatione ad Conſtantinum Imperatorem ſcripta Honorium cum cæteris Monothelitarum Ducibus anathemate percellit, & acta ejuſdem Concilii in quibus Honorius condemnatur, ad Epiſcopos Hiſpaniæ miſit. Hancque Leonis epiſtolam ad Epiſcopos Hiſpaniæ cum actis ſextæ Synodi ad ſe miſſam fuiſſe teſtantur Patres Concilii Toletani. 3. Septima Synodus generalis, act. 7. Honorium cum Monothelitarum Ducibus iterum damnavit nemine reclamante.

Secunda reſponſio aſſerit ſextam Synodum re vera epiſtolam Honorii cum ipſo damnaſſe ut hæreticam, ſed in ſenſu perſonali præſumpto, non in ſenſu proprio ac litterali ipſius epiſtolæ: ideoque epiſtolam non abſolute, & ſecundùm ſe ſpectaſſe, ſed relatè ad mentem & intentionem Honorii, quem ex falſa præſumptione, non leve fundamentum in ſilentio geminæ operationis ab ipſo indicto & approbato, atque in rumoribus publicis à Monothe-

litis

litis ſparſis habente, judicavit hæretico animo epiſtolam ſuam ſcripſiſſe, proindeque eo ſenſu ſcripſiſſe, in quo eadem vel ſimilia verba uſurpabant Monothelitæ. Unde ſexta Synodus Honorii epiſtolam tamquam hæreticam, & ipſum ut hæreticum damnando, erravit, ſed errore facti mere perſonalis, & ſolum circa ſenſum perſonalem, non circa ſenſum litteralem textuum dogmaticorum.

Synodi errorem, inquiunt, actis ejus diligenter expenſis, deprehendit Leo II. unde, in ſua ad Conſtantinum epiſtola judicium ab ea de Honorio & Literis ejus latum correxit, non quidem directè, ne illius auctoritatem imminuere videretur, & Monothelitis anſam daret illam contemnendi, ſed indirectè, Honorium ut hæreſis fautorem ob ſuum ſilentium, damnando his verbis: *anathematiſamus . . . . . Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ Traditionis doctrina illuſtravit, ſed profana proditione immaculatam maculari permiſit.*

Tertia reſponſio, quæ nunc eſt ſaltem communior, docet Honorium damnatum fuiſſe ut hæreticum conniventia & favore, non dogmate & ſententia. Eadem autem nominis infamia, eademque pœna merito puniuntur & hæretici & hæreticorum

corum fautores. *Timeo* (inquit Cœlestinus I. epist. ad Episcopos Galliæ) *ne connivere sit hic tacere: Timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis* (Semipelagianis) *taliter loqui.* Ratio est, quia Honorius non docuit hæresim, sed solum hæresi favit consentiendo Sergio, ut geminæ operationis vocabulum supprimeretur. Quamvis tamen ipse Honorius numquam sua responsione intenderit favere hæresi Monothelitarum, sed ejus epistola ex eventu & abusu judicata fuit Ecclesiæ noxia propter suppresionem vocabuli geminæ voluntatis.

Inst. 1. Honorius eodem modo damnatur, quo Monothelitarum Duces, Sergius, Cyrus, &c.

Respondent. Eodem modo damnatur quoad appellationem; non quoad sensum. Appellatio quippe hæretici injusta non fuit nec convenit Honorio & Monothelitis in eodem sensu, sed in diverso: tum quia (ut constat ex dictis) Honorius hæresim numquam docuit nec professus est, quod constat alios fecisse. Tum quia mentem Concilii sic intellexerunt & explicuerunt optimi Concilii interpretes, nempe Leo II. qui Synodum confirmavit & Constantinus Pogonatus Imperator Religiosissimus, atque rebus Theologicis appri-

me

me eruditus, qui Synodi actionibus interfuerat. Nam Leo II. in epist. ad eumdem Imperatorem, quæ Concilium Sextum confirmat, sic ait: *anathematizamus novi erroris inventores, id est, Theodorum Pharanitanum, Episcopum; Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantipolitanæ Ecclesiæ successores magis quam Præsules: nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed profana traditione immaculatam maculari permittit.* Et, in epistola ad Episcopos Hispaniæ dicit damnatum fuisse Honorium, *qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligentia confovit*: Imperator verò, in suo Edicto sic ait: *anathematizamus eos, qui novorum dogmatum auctores & fautores sunt: Theodorum dicimus, & Sergium moribus Theodoro & impietate parem, atque etiam Honorium, qui fuit antiquæ Romæ Papa, horum hæreseos in omnibus fautorem, concursorem atque confirmatorem.* Ex quibus patet Honorium discerni à Monothelitis, & damnari, non ut hæresis Assertorem & Doctorem, sed dumtaxat fautorem. In hoc etiam sensu Honorii damnatio intellecta & confirmata est à summis Pontificibus, qui in professione fidei, quam Pontifices recens

creati, olim edebant, Sergium, Pyrrchum, & alios damnabant ut novi dogmatis auctores, Honorium verò ut fautorem: quod patet ex libro divino Romanorum Pontificum in prædicta professione fidei, in qua sic legitur, *auctores verò novi dogmatis, Sergium, Pyrrhum, &c. una cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit.*

Inst. 2. Synodus sexta damnat epistolam Honorii ut *alienam ab Apostolicis dogmatibus, & definitionibus Sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum.*

Resp. Eam sic damnat, non quo ad dogma quod exprimit illa epistola, sed quo ad œconomiam, quæ servanda in illa præscribitur. Quàmvis enim Honorii Litteræ hæresim unius voluntatis non continerent, tamen alienæ erant ab Apostolicis dogmatibus, Conciliis, & Patribus, quoad imprudentem œconomiam quæ in illis servanda præscribitur, nempe ut de gemina operatione Christi, quæ est fidei dogma, sileatur perinde ac de una, quæ est hæresis. Quæ quidem Honorii hæreticis obsistere nolentis œconomia multum fidei nocuit, abhorretque à ratione agendi circa fidem tuendam tradita ac servata ab Apostolis, Conciliis, & Patribus.

Inst. 3. Scripta Honorii ibidem dicuntur *sequi falsas doctrinas hæreticorum.*

Resp.

Resp. Dicuntur ſequi illi imprudenter favendo & connivendo, non tamen iis conſentiendo.

Inſt. 4. Eodem tenore verborum epiſtola Honorii & epiſtola Sergii damnatur.

Resp. Eodem quidem verborum tenore damnantur, ſed in diverſo ſenſu, ut conſtat, tum ex Leone II. Concilii interprete, & aliis Pontificibus, atque ipſo Imperatore qui Honorium à Sergio & aliis Monothelitis diſtinguunt, hos damnando ut hæreſis aſſertores & propagatores, Honorium vero ut fautorem; tum etiam ex Honorii epiſtolis, quæ nullam hæreſim continent. Verba autem ſecundùm materiam ſubjectam intelligi debent.

Inſt. 5. Honorius à Concilio anathematizatur, eo quod *per ſcripta ſua ad Sergium in omnibus ejus mentem ſecutus ſit, & impia dogmata confirmavit.*

Resp. Honorius Sergii mentem ſecutus eſt, & hæreſim confirmavit, non conſentiendo ejus hæreſi, neque eam approbando, ſed ſequendo ejus conſilium de ſupprimendo vocabulo duplicis operationis perinde ac unius. Sergius callide ad Honorium ſcripſit, ut decerneret abſtinendum eſſe ab appellatione geminæ operationis Chriſti, ad avertenda ſcandala &

 pertur-

perturbationes. Honorius Sergio imprudenter assensit, & assentiendo morem illi hæretico gessit, & in hoc sensu mentem ejus inconsulto secutus est, & impia dogmata indirectè confirmavit.

Inst. 6. Actione 14. omnia Monothelitarum scripta una cum epistolis Honorii dicuntur *in unam eademque impietatem concurrere.*

Resp. In eamdem impietatem sive Hæresim concurrunt, sed diverso modo, non eodem. Monothelitarum scripta in impietatem concurrebant, hæresim unius voluntatis asserendo, Honorii verò scripta eamdem hæresim non comprimendo, imò ei per jussionem silentii de gemina operatione favendo.

Inst. 7. Actione 18. Dæmon dicitur per Honorium, & per alios *erroris scandala suscitare, unius voluntatis & unius operationis hæresim disseminando.*

Resp. Disting. Hæresim disseminando, non eodem modo quo Monothelitæ, sed diverso. Monothelitæ hæresim suam spargebant directè, eam docendo: Honorius veró indirectè, eam dissimulando, eique favendo suppressione vocabuli duplicis voluntatis.

Inst. 8. Hadrianus II. in Concilio Romano contra Photium coacta, cujus acta in

octava Synodo Generali actione 7. relecta sunt, sic loquitur: *quamvis Honorius post mortem ab Orientis Episcopis anathemate sit affectus, manifestum tamen est, illum de hæresi fuisse accusatum, qua sola in causa licet inferioribus in superiores insurgere. Quamvis & ibi nec Patriarcharum quisquam, nec aliorum ullus Antistitum sententiam pronunciare potuerit, nisi ejusdem Primariæ Sedis accedente ad eam rem auctoritate.*

Resp. Honorius accusatus fuit de hæresi, cui inconsulto faverit, non quam professus fuerit aut docuerit.

OBserva ex Constantino Roncaglia apud Natalem Alexandrum in Hist. Eccles. Tom. 22. p. 174. edit. Neapol. Epistolas Honorii non fuisse ejusmodi, ut per eas Papa solemniter Magistri totius Ecclesiæ functus munere definiverit, sed solùm privatis literis animi sui sensa exposuit. In epistola enim ad Sergium dicit suam responsionem: *Non oportere ad Ecclesiastica dogmatica detorquere*, præsertim quod nullo Synodali examine fuerit trutinata, quod dogmaticam determinationem controversiæ necesse est precedere ut ibi aliquoties innuit. Eæ deinde literæ ad privatum non ad Ecclesiam fuerunt directæ cum non solum Ecclesiæ Affricanæ, ac

totius. Occidentis, verum etiam ipsi Romanæ fuerint ignotæ antequam illas objicere Catholicis Monothelitæ cæpissent ut loco citato probat Roncaglia. Unde tametsi erraret Honorius ut privatus, minime infringeret, id quod fidenter S. Agatho ad Imperatorem Constantinum scripsit: Ecclesiam Romanam a tramite Apostolicæ traditionis nunquam ab-errasse, nec hæreticis novitatibus depravatam succubuisse; Decessores suos semper confirmasse fratres &c. quatenus nempe Universalis Magistri munus exercuerunt, Universæ Ecclesiæ per epistolas Encyclicas credenda proponendo.



PROPOSITIONES DAMNATÆ
Circa Materiam Incarnationis errantes.

SEmipelagiaum est dicere: Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. 5. *Prop. Jans. ab Urb. VIII.* 1641. *Prid. non: Mart.*

Dedit semetIpsum pro nobis ablationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus. *Alex. VIII. 7. Decembr.* 1690.

Oblatio in Templo quæ fiebat à B.

V. M. in die purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis ſufficienter teſtantur quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur etiam maculâ Matris maculatus eſſet. *Alex. VIII. 7. Dec.* 1690.

Opera juſtitiæ & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit ex dignitate Perſonæ operantis, non traxerunt majorem valorem. 19. Baj.

Plures propoſitiones vide inter errantes circa gratiam.



EX TRACTATU

DE ACTIBUS HUMANIS DE LIBERTATE ACTUUM.

ARTICULUS I.

Utrum ad merendum & demerendum in præſenti ſtatu requiratur libertas ab omni neceſſitate ſimpliciter?

NOta. Libertas à coactione eſt immunitas à violentia extrinſecus illata: ſive eſt potentia agendi ſecundum propriam

am inclinationem. Coactio autem est determinatio ad unum orta à principio intrinseco contra inclinationem coacti.

§. I.

Dico. Ad merendum & demerendum in præsenti statu naturæ lapsæ non sufficit libertas à coactione, sed requiritur libertas ab omni necessitate intrinseca antecedente, etiam voluntaria & variabili. Est de fide contra Jansenium & ejus Sectatores.

Prob. 1. Ex Script. Eccli. cap. 13. *Beatus . . . . qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, &c.* Ergo laudabilitas & ratio meriti reperitur ex eò quòd quis non violet mandata cum possit violare, ideoque quod mandata servet sine ulla necessitate antecedenti.

Prob. 2. Ex tertia Jansenii propositione damnata ab Ecclesia ut hæretica, quæ sic habet: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Ergo nostra assertio huic propositioni in sensu doctrinæ Jansenii in quo damnata est, contradictoria, est de fide. Adde quod Pius V. & Gregorius XIII. &

& Urbanus VIII. hanc Baji propositionem damnarunt: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

Prob. 3. Ex Patribus. Pro omnibus sint 1. S. Ireneus, l. 4. contra hæreses, cap. 71. *Dedit Deus bonum .... & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quoniam oporati sunt bonum, cum possint non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, judicium justum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cùm possent operari illud.*

2. Sanctus Justinus, in apologia ad Senatum. *Nihil esset in illis laude dignum nisi facultatem haberent, qua se in utramque partem converterent.*

3. Clemens Alexandrinus, l. 1. stromatum. *Quoniam libera electio peccata primum inchoat, jure infliguntur supplicia.*

4. Sanctus Chrisostomus, Homil. 22. in Genesim. *Nonne manifestum est, sua quemvis voluntate vel malitiam vel virtutem eligere? Nam nisi ità esset, & naturæ nostræ potestas insita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideo & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.*

5. Sanctus Hieronymus, l. 2. contra Jovi-

Jovinianum. *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.*

6. S. Damascenus, l. 2. de Fide, c. 26. *In nobis sunt ea, quorum liberam adepti potestatem sumus & facere & non facere.... quæ sequitur laus aut vituperatio.*

Patribus addo Sanctum Thomam, qui, qu. 6. de malo, art. un. sic ait: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliqud eligendum, nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur: non enim omne necessarium est violentum, sed solum id, cujus principium est extra.... Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorum vel demeritorium, quod aliquis ex necessitate agit, quòd vitare non possit, &c.*

Prob. Denique ratione. 1. Pro merito. Ut actio sit meritoria, debet esse nostra, sic ut illam dare possimus velut pretium pro præmio. Atqui ut actio sit nostra, & illam dare possimus velut pretium pro præmio, requiritur libertas ab omni necessitate simplici antecedente: nam ad hoc requiritur, ut actio sit in dominio nostro, ita ut possimus de illa pro arbitrio disponere, & illam dare vel non dare

pro

pro arbitrio. Ergo ut actio sit meritoria, requiritur libertas ab omni necessitate simplici.

2. Pro demerito. Omne demeritum est essentialiter peccatum imputabile, ad culpam scilicet & pœnam. Sed ad peccatum imputabile requiritur libertas à necessitate, ergo & ad demeritum. *Prob. min.* Omne peccatum debet posse vitari: ergo ad peccatum imputabile requiritur libertas à necessitate. *Prob. antec.* Obligamur ad vitandum peccatum. Ergo peccatum potest vitari: alioquin obligaremur ad impossibile, nam obligaremur ad vitandum id quod non posset à nobis vitari. Nemo autem obligari potest ad impossibile, ut lumine naturali patet; & Deus impossibilia non jubet, ut docet Conc. Trident. sess. 6. c. 11.

Confirmatur ex communi omnium hominum, partium studiis non excœcatorum, assensu; & solo lumine naturali patet, neminem laudem ac præmium, vel vituperium & pœnam mereri, quod egerit id quod non potuit omittere, vel omiserit id quod non potuit facere.

§. II.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Thomas, in 3. dist. 18. qu. un. art. 2. ad 5. ait: *Vel dicendum, quod etiamsi* (liberum arbitrium Christi) *esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum* Deum, *quod non facere non potest; tamen ex hoc non amittit libertatem, neque rationem laudis sive meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tendit: & ita est actus sui Dominus.* Ergo ex Sancto Thoma ad meritum sufficit libertas à coactione.

Resp. Nego conseq. Quia ibi S. Doctor per voces (*non coactè, sed sponte*) intelligit non necessario quacumque necessitate sed libere libertate à quavis necessitate simplici, ut patet ex his verbis: *& ita est actus sui dominus.* Nam ad dominium actuum requirit multis in locis libertatem à necessitate simplici, ut eodem a. in o. ubi postquam dixit tria ad merendum requiri, sic prosequitur: *secundum, ut sit dominus suæ actionis .... & ideo ea, quæ agunt per necessitatem naturæ, non merentur.* Item, 1. p. q. 82. art. 1. ad 3. ait: *sumus domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc vel illud eligere.* E-

lectio

lectio autem non est de fine, sed de his quæ sunt ad finem. Unde appetitus ultimi finis non est de his quorum domini sumus. Item, 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. *voluntas Christi licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel illud bonum. Et ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium.*

Dices. S. Thomas, 1. 2. q. 6. art. 2. ad 3. sic ait: *laus & vituperium consequuntur actum voluntarium secundùm perfectam voluntarii rationem.* Ergo ad vituperium & laudem sufficit libertas à coactione.

Resp. Nego conseq. Quia ex S. Thoma voluntarium quod fit secundum perfectam rationem voluntarii, est illud, quod fit à voluntate sine antecedenti necessitate. Nam juxta illum voluntarium secundum perfectam rationem voluntarii est illud, quod fit ex prævia deliberatione, sic enim eodem articulo ait: *perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scilicet apprehenso fine, aliquis potest deliberans de fine, de his quæ sunt ad finem, moveri in finem vel non moveri.* Sed ex Sancto Thoma, quod fit ex prævia deliberatione, fit sine antecedenti necessitate etiam voluntaria, nam, ad 2. ita loquitur: *ex hoc contingit, quod homo est Dominus sui actus, quod habet de-*

liberas

liberationem de suis actibus: ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest. Enim verò cum ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas agens ex prævia deliberatione, agit cum activa indifferentia ad opposita, & sic agit sine ulla necesitate antecedenti.

Obj. 2. Qui agit voluntariè licet necessariò, habet potentiam faciendi oppositum: nam voluntas est facultas volendi & nolendi, quæ semper remanet. Ergo.

Resp. Disting. anteced. Habet potentiam faciendi oppositum ligatam & impeditam, *esto*. Completam & expeditam, *nego antec.* Ad meritum autem & demeritum requiritur potentia completa & expedita agendi id quod omittitur, & omittendi id quod fit. Sic militi sano ac robusto, sed manus pedesque vinclis constricto imputari non potest ad culpam quòd non pugnet, quia habet quidem potentiam pugnandi, sed ligatam & impeditam.

Jam verò si (ut docet Jansenius) voluntas nostra bonum & malum necessariò agit prout determinatur à gratia vel à concupiscentia intensiore; certè cum vult bonum, non habet potentiam illud non volendi nisi ligatam per gratiam, siquidem stante majore gratiæ delectatione non potest non vel-

le

le bonum. Similiter quando vult malum, etiamsi tunc habeat aliquam gratiam ad oppositum sed minus intensam, non habet potentiam omittendi malum nisi ligatam & impeditam per majorem concupiscentiæ delectationem, necessitantem voluntatem ad malum. Ergo in systemate Jansenii voluntati neque actus bonus ad meritum, neque malus ad demeritum imputari potest.

Inst. Voluntas etiam cum necessariò agit, poneret oppositum, si vellet. Ergo ei imputari potest actus ejus bonus vel malus.

Resp. Nego antecedens, quod falsum supponit: nam cum dicitur voluntas ponere oppositum si vellet, supponitur ex communi hominum intelligentia quòd possit velle oppositum. Sic dici non potest: Deus peccaret si vellet, quia Deus non habet peccandi potentiam, quamvis voluntas peccandi sit peccatum. Voluntas autem non potest supponi posse velle oppositum illius, quod necessariò vult.

Obj. 3. Belluæ pœna & præmio afficiuntur, & tamen non habent libertatem à necessitate simplici. Ergo hæc libertas non requiritur ad merendum & demerendum.

Resp. Nego 1. partem antecedentis. Nam beluæ propriè loquendo, nec pœna, nec præmio afficiuntur; sed bonis vel malis quibusdam afficiuntur, ut ad aliquas actio-

nes

nes alliciantur, vel ab iis deterreantur.

Dolores autem belluarum non ſunt pœnæ propriè dictæ, ſed duntaxat mala ipſis connaturalia: pœna enim propriè dicta eſt malum ſeu incommodum aliquod naturæ vel voluntati contrarium ad culpam aliquam vindicandam inflictum. Neque canes propriè loquendo fuſte percutiuntur ob carnem comeſtam, niſi ut abſterreantur à comedenda in poſterum, alioqui irrationabiliter percuterentur.

Obj. 4. Ad meritum & demeritum requiritur quidem libertas à neceſſitate etiam voluntaria, ſed abſoluta & invariabili, non autem à neceſſitate relativa & variabili, quæ nempe modò ad bonum, modò ad malum ſit, prout motus indeliberatus gratiæ vel concupiſcentiæ intenſior eſt.

Reſp. Nego. Et dico eſſe de fide requiri libertatem ab omni neceſſitate etiam voluntaria tum abſoluta & invariabili, tum etiam relativa & variabili. Nam 1. Scriptura & Patres ad meritum & demeritum exigunt immunitatem à qualibet neceſſitate etiam voluntaria ſine ulla reſtrictione, & completam ac expeditam potentiam agendi id quod omittitur, & omittendi id quod ſit. 2. Tertia propoſitio Janſenii damnata eſt ab Eccleſia ut hæretica in ſenſu doctrinæ Libri Janſenii, ut conſtat ex bullis Alexandri VII,

&

& Clementis XI. ab Ecclesia receptis. Sensus autem hujus propositionis Jansenii (*ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate*) est quòd non requiratur libertas à necessitate relativa & variabili voluntaria, ut patet cuilibet librum Jansenii legenti; & ipse Jansenius admittit in præsenti statu naturæ lapsæ immunitatem à necessitate absoluta & invariabili: nam disertè docet eumdem hominem modò ad bonum à gratia intensiore, modò ad malum à concupiscentia intensiore physicè determinari. 3. Omnia argumenta allata militant pro libertate à qualibet necessitate etiam voluntaria tam relativa & variabili quàm absoluta & invariabili. Nam utraque necessitas tam insuperabilis est, & æquè tollit potentiam ad oppositum eo instanti quo fit bonum vel malum.

Obj. 5. Licèt homo necessitetur à concupiscentia, tamen verè imputabiliter peccat, quia id quod fit à concupiscentia necessitante est sufficienter liberum in peccato Adami.

Resp. Nego. Quia, 1. Alexander VIII. damnavit hanc propositionem: *in statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium fuit in causa sua, peccato originali & voluntate Adami peccantis.* 2. Quia peccata personalia debent procedere à libertate propria volunta-

ris, quæ ſit phyſicé noſtra. Nam cum omne peccatum ſit eſſentialiter liberum, peccatum perſonale eſt eſſentialiter liberum libertate perſonali. 3. Quia ſi ea quæ contra legem fiunt, non ſunt libera niſi libertate peccati originalis, ſublato peccato originali, jam non ſunt libera, nec proinde peccata imputabilia. Unde baptizati jam non poſſunt peccare imputabiliter.

ARTICULUS II.

Utrum homo in ſtatu naturæ lapſæ habeat libertatem ab omni neceſſitate ſimplici intrinſeca?

§. I.

OLim Manichæi negarunt, & nunc Lutherani & Calviniſtæ negant ineſſe homini in præſenti ſtatu liberum arbitrium ſeu libertatem ab omni neceſſitate intrinſeca antecedente, quamvis in eo admittant libertatem à coactione. Idem docet Janſenius in ſuo opere, quod inſcribitur: *Auguſtinus*, ab Eccleſia damnato, ex quo quinque famoſæ hæreſes quoad ſenſum excerptæ ſunt, ut videre eſt, tom. 2. lib. 6. de gratia, c. 6. & tom. 3. l. 6. c. 38. & alibi. Idem etiam nunc docent

Janſe-

Jansenistæ, qui idem quoad hoc cum Luthero & Calvino sententes, ut errorem suum à Concilio Tridentino jam damnatum occultent, dicunt dari etiam in hoc statu naturæ lapsæ liberum arbitrium, per illud intelligentes solam libertatem à coactione, vel à necessitate invariabili. Sed pertinaciter negant nunc homini inesse libertatem ab omni necessitate antecedente intrinseca voluntaria etiam relativa & variabili, quam asserunt amissam esse per Adami peccatum quoad actus virtutis & vitii. Hinc quod à nobis fit sive bonum sive malum, censent fieri ex necessitate intrinseca, antecedente, insuperabili; quia gratiæ delectatio major seu intensior voluntatem ad bonum, concupiscentiæ verò delectatio major ad malum insuperabiliter determinat.

Equidem eorum plerique jam non ita durè loquuntur, licet non minus hæreticè sentiant; sed suam hæresim, mutatis antiquis liberi arbitrii notionibus & usitatis vocum significationibus, sub verbis in speciem Catholicis velant. Quare ut simpliciores decipiant, ac fucum faciant, admittunt nomen indifferentiæ ad bonum & malum; sed per illud intelligunt indifferentiam passivam, quæ juxta illos est capacitas, quam habet voluntas,

ut à gratia intensiore ad bonum, vel à motu concupiscentiæ intensiore ad malum insuperabiliter determinetur. Quin etiam quidam eorum hanc indifferentiam vocant activam, quia voluntas licet antecedenter & insuperabiliter determinata à gratia vel à concupiscentia, vere agit, quamvis non ex propria determinatione & electione; & in hoc sensu dicunt se admittere libertatem indifferentiæ activæ.

Sed omnes illi novatores constanter negant voluntatem nostram immunem esse ab omni necessitate intrinseca antecedente etiam voluntaria, & variabili, hoc est quæ modò est ad bonun, modo ad malum prout gratiæ vel concupiscentiæ motus est interſior; sed volunt voluntatem nostram semper necessariò agere id quoad agit.

§. II.

Dico. Inest homini etiam in præsenti statu naturæ lapsæ libertas à qualibet necessitate intrinseca, antecedente, etiam voluntaria & variabili ad bonum & peccatum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Deuter. cap. 30. sic Moses Israelitas homines existentes in statu naturæ lapsæ alloquitur: *testes invoco hodie cœlum & terram, quod proposuerim*

vobis

vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, & diligas Dominum *Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas.* Et lib. Josue, c. 24. sic eosdem Israelitas exhortatur Josue Spiritu-sancto afflatus: *nunc ergo timete* Dominum, *& servite ei perfecto corde atque verissimo .... sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis, quibus servierunt Patres vestri in Mesopotamia, An diis Amorrhæorum. Ego autem & domus mea servimus* Domino. Ergo Israelitæ habebant optionem & potestatem eligendi bonum vel malum, cultum veri Dei vel idololatriam. Ergo habebant libertatem ab omni necessitate etiam voluntaria. Enim verò si hac libertate caruissent, exhortatio illis facta instinctu Spiritus-sancti, fuisset inanis & plane nugatoria. Nam inutilis est exhortatio ad aliquid, ad quod faciendum quis necessitetur; & nugatoria ac jocosa est, si sit ad faciendum id, ad quod omittendum quis insuperabiliter necessitatur.

Item, Eccli. c. 15. *Deus ab inito constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt*

te . . . . appofuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Quæ verba evidenter diriguntur ad homines præsentes, ideoque lapsos.

Prob. 2. Ex Patribus apud Bellarminum & alios. Hic sufficiant Patres, art. 1. citati, & hi pauci. Sanctus Irenæus, lib. 4. c. 9. *homo rationalis, & secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus, & suæ potestatis, ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat.* Si homo suæ potestatis est, & sibi ipse causa est, ut frumentum vel palea fiat, certè bonum vel malum agit sine ulla antecedenti necessitate. Sanctus Athanasius, in orat. contra idola. *Anima libera est & sui arbitrii, potest enim ut ad bona se inclinari, ita bona quoque aversari.*

Prob. 3. Ex Concil. Tridentino, quod, sess. 6. cap. 1. declarat in hominibus lapsis *liberum arbitrium minimè extinctum fuisse, viribus licèt attenuatum & inclinatum.* Et can. 5. sic habet: *si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit . . . . anathema sit.* Ex quo sic argumentor. Liberum illud hominis arbitrium, quod Concilium definit non esse amissum, est libertas ab omni necessitate

tate ſimplici antecedente, intrinſeca, etiam voluntaria, non autem ſola libertas à coactione. Ergo Concilium definit libertatem ab omni neceſſitate ſimplici remanere in homine poſt Adæ peccatum. *Prob. ant.* Illud liberum arbitrium, quod Concilium definit non eſſe amiſſum, eſt illa libertas, quam amiſſam eſſe aſſerebant Hæretici hoc canone damnati, nempe Lutherus & Calvinus, non autem illa libertas quam fatebantur non eſſe amiſſam, ut nemo ſanæ mentis dubitat: alioqui Concilium nil ageret, & inutilis prorſus eſſet illius definitio. Atqui liberum arbitrium, quod amiſſum eſſe aſſerebant Lutherus & Calvinus, eſt libertas ab omni neceſſitate ſimplici, ſeu voluntaria & variabili, non autem libertas à coactione. Ergo liberum arbitrium, quod Concilium definit non eſſe amiſſum poſt Adæ peccatum, eſt libertas ab omni neceſſitate ſimplici etiam voluntaria & variabili. Minor conſtat; nam illi Hæretici aſſerebant amiſſam eſſe libertatem à neceſſitate ſimplici, nec unquam negarunt ineſſe homini lapſo libertatem à coactione, ut patet ex illorum ſcriptis. Lutherus, in libro de ſervo arbitrio fol. 434. Vittemb. an. 1562 de voluntate noſtra ait: *mera lubentia, pronitate, ac ſponte ſua vult & facit.* Calvinus vero, lib. 2. inſtit. c. 3. imò Calvinus

nus expresse admittit liberum arbitrium intellectum in sensu Jansenii, nempe de sola libertate à coactione, sic enim, lib. 2. contra Phigium ait: *si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter assevero, ac pro Hæretico habeo, quisquis secus sentiat. Si hoc inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, & violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihl moror.* Et vero dari liberratem à coactione, nemo unquam negavit, nec negare quis potest nisi insaniat. Nam per se patet voluntatem cogi non posse quoad actus suos; cùm omnis actus voluntatis, sit ipsa inclinatio voluntatis, & evidenter repugnet voluntatem posse velle nolendo, & nolle volendo: quod tamen fieret, si cogeretur quoad suos actus.

Accedit Concil. Arausicanum II. can. 15. ubi ait: *Hoc secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, impleri.* Et Concilium Constantiense, quod sess. 18. damnavit articulum Wicleffi, quo asserebat omnia de nacessitate evenire. Per necessitatem intelligebat simplicem seu voluntariam, quam à præscientia Dei repetebat, in quo solo, à Jansenio & Calvino discrepat.

Prob. 4. Ratione Theologica. Homo in

in statu naturæ lapsæ meretur & demeretur, ut fide constat: ac proinde habet id omne, quod requiritur ad merendum & demerendum. Atqui ad merendum & demerendum requiritur libertas ab omni necessitate intrinseca antecedente, nec sufficit libertas à coactione, ut etiam fide constat, & ostensum est, art. 1. Ergo homo in statu naturæ lapsæ habet libertatem à necessitate simplici, & non tantum à coactione.

Prob. 5. Alia duplici ratione. Prima si homo lapsus careret libertate ab omni necessitate etiam voluntaria, teneretur ad impossibile: nam teneretur observare præcepta Divina, quæ tamen necessariò violaret, quoties ea non servaret.

Secunda ratio. Si non daretur libertas ab omni necessitate simplici, homines scelerati justam haberent excusationem suorum criminum, nempe necessitatem antecedentem insuperabilem peccandi. Falsum consequens: alioqui in juste sive à Deo sive ab hominibus punirentur: ergo & antecedens. Item viri probi frustra curam ac conatum adhiberent, ad virtutem colendam, siquidem ad illam exercendam necessitarentur, & quidem ex majore delectatione. Nec magis laude ac præmio digni forent quam improbi, siquidem utrique

trique facerent quod non possent non facere, quare hæresis illa negans libertatem ab omni necessitate simplici est principium omnis morum corruptelæ, sceleribus ac vitiis omnibus fræna laxat, & omnem virtutis curam ac studium penitùs tollit.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Multos textus Scripturæ. 1. Christus, Matth. c. 7. dicit: *non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*

Resp. Per arborem hic intelligitur voluntas efficax, ut docet S. Augustinus, & sensus est: homo habens bonam voluntatem efficacem, quamdiu illam habet, non potest malum agere. Sed bonam illam voluntatem libere habuit ex auxilio Gratiæ, & potest illam amittere dissentiendo Gratiæ. Similiter homo habens malam voluntatem, quamdiu illam habet non potest bonum agere; sed illam libere habet, & potest cum auxilio Gratiæ habere aliam bonam, & haberet si consentiret Gratiæ. Præterea si per arborem intelligitur homo ipse, sensus est: homo bonus quatenus bonus non potest malum agere

agere, neque homo malus quatenus malus poteſt bonum agere. Sed homo bonus poteſt fieri malus diſſentiendo Gratiæ, & homo malus poteſt fieri bonus conſentiendo Gratiæ.

2. Illud, Joann. c. 8. *omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.*

Reſp. Senſus eſt, quod peccator neceſſariò ſubjectus ſit pœnis peccati, nec poſſit ſe ſine Gratia à peccato & pœnis peccati liberare, & juſtificationem conſequi.

3. Illud, Rom. c. 7. *non quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio.*

Reſp. Apoſtolus loquitur de indeliberatis concupiſcentiæ motibus ad peccatum inclinantibus, quos quidem neceſſario experimur, ſed quibus poſſumus ex auxilio Gratiæ non conſentire, & qui diſſentientibus non imputantur ad culpam. Quare ſubjicit: *ſi autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum,* id eſt, concupiſcentia. Senſus igitur textus objecti eſt: non ſentio inclinationem ad bonum, quam vellem habere: ſed è contra experior inclinationem ſeu propenſionem indeliberatam ad malum, quam nollem ſentire.

4.

4. Eodem cap. dicitur: *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.*

Resp. Homo captivatur in lege peccati impropriè dicti. Peccatum propriè dictum est actus libere factus vel omissus contra legem Dei. Peccatum impropriè dictum est concupiscentia, quæ ideo dicitur peccatum, quia oritur à peccato (Adami scilicet) & ad peccatum inclinat. Per peccatum autem in cujus lege captivamur, intelligit Apostolus concupiscentiam, quæ est habitualis propensio ad malum: cujus quidem motus necessariò experimur, & sic ea captivamur, sed iis non necessariò obsequimur, & sic non necessariò peccamus. Unde quamvis non simus liberi circa motus concupiscentiæ quoad sensum, sumus tamen quoad consensum.

5. Illud, 2. Tim. c. 2. de impiis & incredulis: *Ut resipiscant diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.*

Resp. Impii & increduli dicuntur captivi teneri ad voluntatem diaboli, non quia ab illo necessitantur ad peccatum, sed quia propter voluntariam suam cœcitatem & pravos habitus possunt difficilius resipiscere & ejus tentationibus resistere, & dæmon à Deo permittitur in illos

illos magis sævire quam in pios & fideles.

6. Illud, Prov. c. 21. *Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.*

Resp. Deus inclinat & movet voluntates hominum quocumque vult efficaciter, non eas necessitando, sed (ut ait Sanctus Augustinus) eas vocando & movendo quomodo scit congruere ut vocantem non respuant, sed Deo plane consentiant.

7. Illud, Isai c. 26. Domine .... *omnia opera nostra operatus es nobis.*

Resp. Deus operatur quidem opera nostra nobis, sed non sine nobis ex propria determinatione & electione operantibus.

8. Illud, Jerem. cap. 10. *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri ut ambulet, & dirigat gressus suos.*

Resp. Hic agitur de successu consiliorum & actionum hominis, non de productione suarum volitionum. Et sensus est, quòd successus seu executio eorum, quæ homo libere vult, non sit semper in potestate hominis, sed semper pendeat à divina Providentia. Quòd si ageretur de actibus voluntatis humanæ, sensus esset, quod homo ex suis solis naturæ viribus

ribus &c. sine auxilio divino non potest recte vitam suam instituere, & actus salutares elicere.

Obj. 2. Ex Cælestino Papa I. Naturalis possibilitas Adami amissa est per peccatum.

Resp. Per possibilitatem intelligit, non potentiam agendi ex propria determinatione & electione sed potentiam agendi salutariter: quæ quidem per peccatum Adami amissa est, sed per Christum reparata fuit. Hanc autem potentiam vocat naturalem, quia Adamus eam simul cum natura accepit, eamque si non peccasset, cum natura ad posteros transmisisset.

Obj. 3. Concil. Arausicanum II. can. 15. ait: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi.*

Resp. Loquitur de libero arbitrio tantùm, ut est potentia instructa habitibus supernaturalibus, qui necessarii sunt ad merendam & consequendam vitam æternam. Quæ quidem potentia per peccatum originale amissa est, nec reparari potest nisi per Baptismum in re vel in voto susceptum. At Concilium non loquitur de libero arbitrio præcisè ut est facultas naturalis, quæ positis omnibus ad agendum

prære

prærequisitis potest agere & simul potest non agere: quod quidem liberum arbitrium per peccatum originale infirmatum & extenuatum est, non tamen amissum.

Obj. 4. Si voluntas est indifferens, debet determinari ab alia causa. Ergo non est libera.

Resp. Nego sequel. anteced. Quia voluntas nostra est indifferens indifferentia activa; & sic potest se ipsam determinare, & re vera se ipsam determinat efficienter seu activè per se ipsam seu per suam virtutem agendi, formaliter verò per suam actionem, quæ est formalis ejus determinatio. Cum autem voluntas agit, non potest non agere, sed impotentia consequente ejus liberam determinationem.

Obj. 5. Voluntas non potest habere potentiam ad opposita: nam non potest opposita ponere. Ergo non est libera.

Resp. Voluntas nostra habet potentiam ad opposita, non simul, sed divisim ponenda. Nam non habet potentiam ponendi simul duo oposita, cum illorum positio repugnet; sed habet simul potentiam agendi & potentiam non agendi reducibilem ad actum divisim tantum. Unde voluntas cum amat, potest producere odium, vel non amare, non con-

junctim

junctim cum amore, sed divisim ab amore, id est, loco amoris potest producere odium.

Obj. 6. Voluntas non potest eligere minus bonum: ergo à fortiori non potest eligere malum.

Resp. Nego anteced. Itaque voluntas potest eligere minus bonum, non quidem ut minus bonum, sed ut bonum sufficiens, vel comparatu facilius, & respuere majus bonum ut non necessarium, vel ut difficilius comparabile, vel ut sensibus minus gratum.

Nota. Per Adami peccatum liberum hominis arbitrium non fuit quidem extinctum; sed tamen læsum, & viribus attenuatum fuit, non solum quia per hoc peccatum voluntas hominis spoliata est justitiæ originalis dono, & speciali illa Providentia, quæ sic regebat hominem, ut in potestate sua haberet omnes corporis & animi motus, sed maxime quia propter ignorantiam, vitiatum corporis temperamentum, & effrænatam concupiscentiam continuò ad malum impellentem, voluntas nostra bonum honestum adeo fastidit, & ita propendet in malum, ut nihil salutare velle & agere possit sine auxilio gratiæ potentioris, quam indiguerit Adamus in statu innocentiæ: imò

ſine gratia non poſſit actus honeſtos mere naturales arduos exercere, quos tamen cum ordinario Dei concurſu naturali potuiſſet in ſtatu innocentiæ, vel etiam in ſtatu naturæ puræ elicere.

ARTICULUS III.

Exponitur mens & doctrina S. Auguſtini circa liberum arbitrium in ſtatu naturæ lapſæ.

§. I.

SAnctus Auguſtinus per liberum arbitrium hominis etiam lapſi intellexit libertatem ab omni neceſſitate intrinſeca etiam voluntaria. Eſt contra Janſenium.

Prob. Nam 1. L. 2. contra Fauſtum, c. 5. ſic ait: *Et nos quidem ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo bene vel male vivitur, propter juſtum judicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* 2. Lib. de Gratia & libero arbitrio, cap. 2. poſtquam retulit verba Eccleſiaſtici, c. 15. quibus deſcribitur liberum arbitrium hominis lapſi ut immune ab omni neceſſitate, nempe hac: *Ipſe ab initio fecit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui. Si volueris, conſervabis mandata,*

& fidem bonam placiti. Apponit tibi ignem & aquam, ad quodcumque volueris, extende manum tuam. In conſpectu hominis vita & mors, & quodcumque placuerit, dabitur ei. Sic proſequitur S. Doctor: *Ecce apertiſſime videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* Ergo S. Auguſtinus per liberum arbitrium intellexit eam facultatem, quam Eccleſiaſticus attribuit homini viatori lapſo: atqui Eccleſiaſticus attribuit homini lapſo facultatem agendi bonum vel malum pro arbitrio, & abſque ulla neceſſitate antecedenti intrinſeca, ut patet ex ejus verbis, quæ diriguntur ad hominem qui ea legit, ideoque ad hominem lapſum. Ergo S. Auguſtinus per liberum arbitrium intellexit facultatem agendi bonum vel malum pro arbitrio & ſine ulla neceſſitate antecedenti intrinſeca. 3. Lib. 2. de nuptiis & concupiſcentia, c. 3. infrà citándo teſtatur ſe admittere ſecundùm fidem Catholicam liberum arbitrium in hominibus lapſis ſicut ipſi Pelagiani, idque eſſe commune Catholicis & Pelagianis dogma. Atqui Pelagiani per liberum arbitrium intelligebant facultatem agendi completam, & expeditam, ac immunem ab omni neceſſitate ſimplici, ut conſtat apud omnes. Ergo. 4. Lib. de ſpiritu & litera, nu. 54. ait: *Cùm poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur.* §. II.

§. II.

S. Auguſtinus ſenſit ad merendum & demerendum in hoc ſtatu naturæ lapſæ requiri libertatem ab omni neceſſitate antecedente intrinſeca, nec ſufficere libertatem à coactione. Eſt contra Janſenium.

Prob. Nam 1. L. de duabus animabus, c. 11. ſic ait: *Etiamne hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erunt unde diſcerem, neminem vituperatione ſuppliciove dignum, qui aut id velit quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non poteſt Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in ſacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum? Quòd ſi nemo vituperatione vel damnatione dignus eſt, aut non contra vetitum juſtitiæ faciens, aut quod non poteſt non faciens: quis dubitet tunc eſſe peccatum, cùm & velle injuſtum eſt, & liberum nolle; & ideo definitionem illam veram eſſe. Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere?* Et c. 12. *Peccati enim tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt; ſi natura non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero & ad faciendum*

& ad non faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus. 2. L. 3. de libero arbitrio, c. 18. *Hoc brevissimum tene, quæcumque ista causa est voluntatis* (malæ) *si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tota fallacia est, ut cavere omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt: quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* 3. L. de natura & gratia, c. 65. postquam hæc S. Hieronymi verba retulit, (*liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec corona est.*) sic respondet *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat?* Ubi agitur de omni necessitate antecedenti etiam voluntaria, nempe de necessitate qua trahamur. 4. L. de Gratia & libero arbitrio, c. 2. *Ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. Nemo ergo Deum causetur in corde suo; sed sibi imputet quisque, cùm peccat.*

Nota. S. Augustinus, l. 1. retractationum refert textus pro libertate expressos, quos contra Manichæos tradiderat, & illos confirmat, nedùm retractat; volens tan-

tùm inteligi illam libertatem quoad opus salutare supponere gratiam Christi, & illos textus non adversari peccato originali.

§. III.

S. Augustinus sensit inesse homini etiam in præsenti statu naturæ lapsæ libertatem ab omni necessitate simplici antecedente. Est contra Lutherum, & Clavinum & Jansenium.

Prob. 1. Ex ejus textibus in duobus prioribus paragrahis allatis.

Prob. 2. Ex l. 2. de nuptiis & concupiscentia, c. 3. ubi sic Julianum Pelagianum alloquens ait: *Non itaque sicut te atque alios fallens loqueris, si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cœlestianus & Pelagianus vocatur, ista quippe Catholica Fides dicit .... liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem utrique dicimus, non hinc estis Cœlestiani & Pelagiani. Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio* Dei, *& non erui à potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis, hinc estis, Cœlestiani & Pelagiani. Quid obtendis, ad fallendum, communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen?* Ubi S. Doctor testatur se

ſecundùm Fidem Catholicam admittere liberum arbitrium in hominibus lapſis ſicut ipſi Pelagiani admittebant, hocque eſſe commune Catholicis & Pelagianis dogma: & Pelagianos ſolùm arguit, quòd dicerent illud liberum arbitrium ſine gratia valere ad bonum ſalutare agendum: non autem eos arguit quòd per liberum arbitrium intelligerent libertatem à neceſſitate. Atqui S. Doctor liberum arbitrium in homine lapſo admittere non potuit cum Pelagianis, & aſſerere dogma liberi arbitrii, quale nunc ineſt homini lapſo, eſſe Catholicis & Pelagianis commune, nec aliud in Pelagianis circa libertatem reprehendere, quàm quòd gratiæ neceſſitatem negarent, niſi idem nomine liberi arbitrii cum Pelagianis intellexiſſet, nempe libertatem ab omni neceſſitate ſimplici, illudque ſic intellectum admiſiſſet. Ergo S. Auguſtinus admiſit in homine lapſo libertatem ab omni neceſſitate ſimplici.

Porro probè ſciebat Pelagianos conſtituere libertatem hominis lapſi in indifferentia activa, & immunitate ab omni neceſſitate ſimplici. Nam, l. 2. de peccatorum meritis & remiſſione, c. 18. dicit liberum arbitrium quale nunc habemus, tale eſſe ſecundùm Pelagium, *quod huc atque illuc liberum flectitur.* Et, l. de gratia Chriſti,

ſti, c. 31. refert hæc Pelagii verba ex ejus ad Innocentium epiſtola: *Ecce ad beatudinem tuam epiſtola iſta me purget, in qua purè atque ſimpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino ſemper adjuvatur auxilio.* In quo Pelagii textu nihil reprehendit, ſed tantùm quærit ſenſum hujus vocis auxilii divini. Nam hæc ſubjicit S. Doctor: *cernitis itaque pro intellectu, quem vobis Dominus dedit, hæc ejus verba ſolvendæ non ſufficere quæſtioni. Quærimus enim adhuc quo auxilio liberum adjuvari dicat arbitrium, ne fortè, ſicut ſolet, velit intelligi legem atque doctrinam.*

Prob. 3. Ex lib. 1. operis imperfecti, n. 98. ubi ait: *ex quo homo incipit uti voluntatis arbitrio, & peccare & non peccare poteſt: ſed alterum horum non facit, niſi adjutus ab eo, qui dixit, ſine me nihil poteſtis facere: alterum verò propria voluntate.* Ergo ex S. Auguſtino homo lapſus poteſt peccare & non peccare, benè & malé agere cum hoc tamen diſcrimine, quòd cùm bonum ſalutare agit, illud non agat nec agere poſſit ſine gratia: peccet verò própria voluntare, hoc eſt, ſolîs viribus naturalibus liberi arbitrii, & ex ſola propria determinatione, Deo nullatenus impellente.

Prob.

Prob. 4. Ex lib. 2. contra Felicem Manichæum, c. 4. *habet unusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.*

Denique S. Augustinus docet nos habere eamdem specie libertatem, quam Adamus habuit in statu innocentiæ, cum hoc solo discrimine accidentali, quod libertas status innocentiæ esset immunis ab ignorantia & concupiscentia, & facilitatem ad bonum complecteretur: nostra autem difficultatem adjunctam habeat propter reluctationem concupiscentiæ, & nobis per gratiam Christi restituatur quoad bonum salutare. Nam, lib. 6. operis imperfecti, n. 11. asserit libertatem per gratiam in pristinum statum restitui. Postquam enim citavit textum Innocentii I. sic ait: *Audis restitui libertatem, & non periisse contendis; atque humana voluntate contentus, divinam non petis gratiam, quam libertas nostra etiam in statum pristinum restituta, sibi esse intelligit necessariam.* Idem docet, lib. 3. n. 114.

CANO-

CANONES TRIDENTINI AD TRACTATUM

De Actibus Humanis pertinentes.

Ex Seff. IV.

1. SI quis dixerit hominem fuis operibus, quæ per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant abfque Divina per JESUM Chriftum gratia poffe juftificari coram Deo; anathema fit. *Can.* 1.

2. Si quis dixerit ad hoc folum Divinam gratiam per Chriftum JESUM dari, ut facilius homo juftè vivere, ac vitam æternam promereri poffit, quafi per liberum arbitrium fine gratia utrumque, fed ægrè tamen, & difficulter poffit; anathema fit. *Can.* 2.

3. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari affentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendum juftificationis gratiam fe difponat ac præparet, neque poffit diffentire fi velit fed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paffivè fe habere; anathema fit. *Can.* 4.

4. Si quis liberum hominis arbitrium poft Adæ peccatum amiffum, & extinctum effe dixerit, aut rem effe de folo titulo, imo

titulum

titulum sine re, figmentum denique à Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit. *Can.* 5.

Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissivè solum, sed etiam proprie, & per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit. *Cant.* 6.

6. Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sunt verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum graviùs peccare; anathema sit. *Can.* 7.

7. Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia; anathema sit. *Can.* 18.

PROPOSITIONES DAMNATÆ
Circa Actus Humanos errantes

1. IN statu Naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis. *Alex.* *VIII.* 7. *Decemb.* 1690.

2.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ hæc in statu Naturæ lapsæ operantem reipsa non excusat a peccato formali. *Alex. VIII.* 7. *Decem.* 1690.

3. Non licet sequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabilissimam. *Alex. VIII.* 7. *Decemb.* 1690.

4. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè, potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam *Alex. VIII.* 7. *Decemb.* 1690.

5. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio; vel mundi, si Dei, charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est: mala est. *Alex VIII.* 7. *Dec.* 1690.

6. Intentio quâ quis detestatur malum & prosequitur bonum mere, ut Cœlestem obtineat gloriam non est recta, nec Deo placens. *Alex. VIII.* 7. *Decemb.* 1690.

7. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet. 27. *Baj.*

8. Pelagianus error est dicere, quod liberum arbitrium valet ad nullum peccatum vitandum. 28. *Baj.*

9. Quod Voluntariè fit etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit. 39. *Baj.*

10. In omnibus suis actibus peccator servit cupiditati dominanti. 40. *Baj.*

11. Is libertatis modus, qui est a ne-

cessitate

cessitatē sub libertatis nomine, non repetitur in scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato. 41. *Baj.*

12. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consveverunt) vel qvia est meritorium Regni æterni, eo quod fit à vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda, putatur. 62. *Baj.*

13. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet. 65. *Baj.*

14. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. 66. *Baj.*

15. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit. 67 *Baj.*

Plures vidè tum Tractatu de Gratia, tum præsertim ad calcem Medullæ Theol. P. Herm. Busembaum editionis novissimæ.



EX

EX TRACTATU DE GRATIA.

CAPUT PRIMUM

De erroribus Pelagianorum, Semipelagianorum, & Jansenii.

ARTICULUS I.

Pelagianorum errores circa Gratiam.

PElagius fuit natione Anglus, vel (ut alii volunt) Scotus, professione monachus, acri ingenio præditus, & facundus, sed vafer ac callidus, & quamdiu fidem rectam habuit, aut errores suos utcumque dissimulavit, sanctus habebatur. Ruffinum magistrum errorum suorum antesignanum, teste S. Hieronimo habuit: discipulum verò primarium Cœlestinum, sibi ingenio non imparem.

Pelagii hæresim ad hæc duo capita generatim revocat Sanctus Augustinus, nempe quód negaret peccatum originale, & necessitatem Gratiæ actualis interioris præventientis ad quodlibet opus salutare, quæ gratis daretur. Sed ut Palagianismus circa Gratiam meliùs innotescat, is in quatuor status distinguendus est.

Primus status est, in quo Pelagiani, omisse

omisso nomine Gratiæ, docuerunt naturales vires liberi arbitrii sufficere ad servanda omnia mandata, superandas quasvis tentationes, præstanda opera omnium virtutum, & assequendam æternam salutem. Constat ex Sancto Augustino, serm. 11. de verbis Apostoli, ubi Pelagianos sic loquentes inducit: *Ipsi fecimus nos, id est, ut justi essemus, justos nos libera voluntate facimus. Quando conditi sumus, liberum arbitrium accepimus. Ut ergo justi simus, libero id arbitrio agimus,. Quid adhuc Deum invocamus, ut justos nos faciat, quod habemus in potestate, ut nos ipsi justos faciamus?*

Secundus status est, in quo Pelagiani ad decipiendos Catholicos, & vitandam eorum offensionem, ac hæresis notam, nomen Gratiæ admiserunt, liberum arbitrium appellando Gratiam, eo quód scilicet gratis à Deo, nullis nostris præcedentibus meritis, nobis in creatione concedatur. Constat ex S. Augustino, serm. 11. de verbis Apostoli, ubi de Pelagianis hæc ait: *Disputantes ergo contra Gratiam pro libero arbitrio, fecerunt auribus piis & catholicis offensionem cœperunt horreri, cœperunt ut certa pernicies devitari; cœpit de illis dici, quòd contra Gratiam disputarent. Et invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra Gratiam Dei disputo. Unde probas? eo*

ipso,

ipso, inquit, non contra Gratiam Dei disputo, quòd liberum arbitrium defendo. Vide acumen, sed vitreum, quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate.

Tertius status est is in quo Pelagiani à Catholicis objurgati, quòd nullam præter liberum arbitrium admitterent Gaatiam, novùm Gratiæ genus agnoverunt, nempe legem & doctrinam. Constat ex Canone IV. Concil. Carthaginensis, & ex S. Augustino variis locis. Legi & doctrinæ addiderunt remissionem peccatorum, ut testatur S. Augustinus, lib. de gestis Pelagii, c. 35. & remissioni peccatorum adjecerunt exempla Christi. Verùm hanc legis, doctrinæ, virtutũ & exemplorum Christi Gratiam dixerunt non esse absolutè necessariam, sed sufficere liberum arbitrium ad bonum salutare agendum, & malum vitandum, ut constat ex Sancto Augustino, l. de Gratia Christi, c. 41. ubi Pelagii doctrinam exponens, ait: *Sed hoc adjutorium legis atque doctrinæ etiam propheticis fuisse temporibus: adjutorium autem Gratiæ quæ propriè Gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo: quod nihilominùs ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis evangelica prædicatur; ut videlicet tanquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus*

ficiamus nobis, ne deficiamus in via: quamvis *& ipsam viam contendat etiam sola inveniri posse natura, sed facilius, si adjuvet Gratia.*

Quartus & ultimus status est ille, in quo Pelagiani præter peccatorũ remissionem, & externam Gratiam legis & doctrinæ, atque exemplorum Christi, admiserunt Gratiam internam illustrationis. Constat ex Sancto Augustino, l. de Gratia Christi, c. 7. ubi hæc Pelagii verba refert: *Adjuvat nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi & ineffabili dono Gratiæ cœlestis illuminat;* Et lib. de Heres. 88. sic ait: *Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit; ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, &c.* Ergo Pelagius cessit increpationi, qua increpabatur quód non admitteret Gratiam internam, nam externam admittebat. Ergo admisit aliquam Gratiam internam illustrationis scilicet; nam Gratiam internam immediatè afficientem voluntatem nunquam agnovit, ut Sanctus Doctor inferius docet his verbis: *Ac per hoc divinitùs nobis dari scientiam consitentur, qua ignorantia pellitur. Charitatem autem* (id est

piam

piam motionem voluntatis ad bonum) *dari negant, qua piè vivitur.*

Sed Pelagiani internam illustrationis Gratiam cum duplici errore admittere. Nam 1. dicebant eam necessariam non esse nisi ad faciliùs agendum bonum: Pelagius enim, teste S. Augistino, l. de Hæres. 88. de hac Gratia dicebat, *ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per Gratiam.* Dicendo *utique ut faciliùs possint, voluit credi, etiamsi difficiliùs, tamen posse homines sine Gratia divina facere jussa divina.* Quare, ut addit Sanctus Doctor, Pelagiani nullam aliam gratiam ad bonum salutare agendum & malum vitandum necessariam agnoscebant nisi liberum arbitrium, quod Deus per solam legem & doctrinam, sive exteriùs sive interiùs propositam adjuvaret ad faciliùs posse. *Illam verò,* inquit, *Gratiam Dei, sine qua nihil possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod, nullis suis præcedentibus meritis, ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantùm ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus.* Ibid. 2. dicebat internam illustrationis Gratiam obtineri bonis operibus merè naturalibus, unde negabant esse gratuitam. Constat ex Sancto Augustino, l. de Gratia & libero arbitrio, c. 14.

ubi ait: *Cùm fuerint convicti, non defensores, sed inflatores & præcipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa Gratia, quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur; sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur .... ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere Gratiam Dei secundùm merita dari.*

Itaque Pelagianorum errores circa Gratiam, quibus semper pertinaciter adhæserunt, in eo consistebant, quòd negarent tum necessitatem, tum gratuitatem Gratiæ internæ, præsertim immediatè afficientis voluntatem, cujus ne existentiam quidem admiserunt, aut certè non nisi cum duplici illa corruptela. Nullos quoque actus supernaturales secundùm entitatem admisit Pelagius. Et quamvis admiserit interiorem illuminationem ex parte objecti, qua nempe Spiritus-sanctus clariùs & distinctus intellectui proponit aliquam veritatem, cui quidem solis viribus naturalibus assentiamur; nunquam tamen admisit interiorem illuminationem ex parte potentiæ, seu intellectus, qua nempe intellectus à Spiritu-sancto elevetur & corroboretur ad meliùs intelligendum, & ad eliciendum actum supernaturalem, & nobiliorem, quàm possit naturæ viribus

ribus elicere, ut teſtatur S. Auguſtinus, lib. de Gracia Chriſti, c. 41. his verbis: *ita ut ipſas quoque orationes, ut in ſcriptis ſuis apertiſſimè affirmat* (Pelagius) *ad nihil aliud adhibendas opinetur, niſi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum eſſe didicerit, etiam dilectione & actione perficiat.*

Quæres utrùm Pelagiani admiſerint Gratiam habitualem ſeu ſanctificantem?

Reſp. affirm. Prob 1. Ex ipſo Pelagio, qui, in commentario capitis 5. epiſtolæ ad Romanos, ſic ait: *quare multa peccata dimiſit abundantia donationis Spiritus-ſancti? Quia multa ſunt dona. Ipſa enim juſtitia donatur per baptiſmum, non ex merito poſſidetur.* Juſtitia autem illa nil aliud eſt quàm Gratia ſanctificans. Nam Pelagius nunquam habitus ſupernaturales Fidei, Spei & Charitatis per ſe infuſos admiſit: ſemper enim ſenſit, liberum arbitrium cum lege & doctrina ſive forinſecùs ſive intrinſecus propoſita ſufficere ad actus ſalutares; & conſequenter non agnovit habitus ſupernaturales, qui dent ſimpliciter poſſe ſalutariter operari. 2. Ex Sancto Auguſtino aſſerente Pelagianos dicere, *non ideo parvulos baptizari, ut remiſſionem accipiant peccatorum, ſed ut ſanctificentur in Chriſto.*

ARTICULUS II.

De qua Gratia controversia fuerit Catholicos inter & Pelagianos.

§. I.

Nota. JAnsenius Iprensis Episcopus, ut suæ gratiæ necessitanti præluderet, docuit, l. 5. de hæresi Pelagiana, Pelagianos admisisse Gratiam interiorem etiam inspirationis seu voluntatis, sed quæ relinqueret indifferentiam activam. Unde concludit S. Augustinum, ac proinde Catholicos, quorum partes agebat, nunquam contendisse cum Pelagianis de adjutorio Gratiæ, quocum maneret indifferentia activa voluntatis, sed de adjutorio, necessitante, & excludente indifferentiam activam quam ipse Jansenius passim dicit esse dogma Pelagianum.

Dico 1. Sancti Augustini & aliorum Catholicorum contentio cum Pelagianis non fuit de Gratia necessitante.

Prob. Quia alioqui Sanctus Augustinus & alii Catholici graviter errassent; nam Gratia necessitans à Conc. Tridentino & ab Ecclesia damnata est ut hæretica. 2. Quia Sanctus Augustinus, in libris contra Pelagianos scriptis nunquam negavit, imò apertè docuit manere sub Gratia libertatem ab omni necess-

necessitate simplici antecedente, ut, lib. de natura & Gratia, cap. 65. infra citando, & l. 2. de nuptiis & concupiscentia, c. 3. ubi sic Julianum Pelagianum alloquens ait: *Non itaque sicut te atque alios fallens loqueris, si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cælestianus & Pelagianus vocatur: ista quippe catholica fides dicit. Sed si quis ad colendum rectè Deum sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium; & quisquis ita dicit Deum nascentium conditorem, ut parvulorum neget à potestate diaboli redemptorem, ipse Pelagianus & Cælestianus vocatur. Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem, utrique dicimus: non hinc estis Cælestiani & Pelagiani. Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio Dei, & non erui parvulos à potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis; hinc estis Cælestiani & Pelagiani.*

Dico 2. Sancti Augustini & aliorum Catholicorum contentio cum Pelagianis circa Gratiam fuit præcisè de adjutorio immediato ex parte voluntatis, eam prævenientе, excitante & corroborante, quod esset simpliciter necessarium ad omnes actus salutares eliciendos, & gratuitum.

Prob. 1. Ex Concil. Milevitano, can. 4. ubi Pelagianorum errorem circa Gratiam

damnat his verbis: *Quisquis dixerit, Gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc nos tantùm adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.* Gratia autem, per quam præstatur, ut bonum facere diligamus atque valeamus, est Gratia inspirationis, seu pia motio voluntatis indeliberata & supernaturalis, qua voluntas inclinatur ad bonum, & corroboratur contra motus concupiscentiæ ei obsistentes.

Prob. 2. Ex Sancto Augustino, l. de Gratia Christi, cap. 47. ubi hæc de Pelagianis ait: *quantum attinet ad istam de divina Gratia & adjutorio quæstionem, tria illa, quæ apertissimè distinxit, attendite, posse, velle, esse; id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis, non solùm possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem divinitùs adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus, eamque esse Gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua non nostra justitia, justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, quæ ab illo est; nihil*

de

de adjutorio Gratiæ Dei, quantùm arbitror, inter nos controversiæ relinquetur. Ergo inter Sanctum Augustinum & Pelagium nulla jam esset controversia de Gratia divina, si Pelagius præter legem & doctrinam, qua dicebat adjuvari possibilitatem, nempe liberum arbitrium, fateatur nos adjuvari per auxilium voluntatis gratuitum, sine quo nihil unqnam bene, id est, salutariter velimus & agamus. Ergo contentio Augustinum inter, & Pelagium erat præcisè de auxilio aliquo gratuito immediato se tenente ex parte voluntatis ut necessario ad quodlibet opus salutare.

Item Sanctus Augustinus, lib. de Gratia, cap. 10. ait: *eam* (Gratiam) *aliquando fateatur* (Pelagius) *qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verùm etiam creditur & speratur: nec solum revelatur sapientia, verùm & amatur: nec suadetur solum omne qnod bonum est, verùm & persuadetur.* Ex quo sic argumentor. Augustinum inter & Pelagium contentio erat de ea Gratia, cujus confessionem Sanctus Doctor à Pelagio postulabat. Atqui Sanctus Doctor à Pelagio postulabat confessionem Gratiæ, non quæ necessitaret, sed quæ vires ad credendum & sperandum suppeditat, qua amor omnis boni salutaris inspiratur. Ergo de

de ejuſmudi Gratia erat contentio inter S. Auguſtinum & Pelagium.

Prob. 3. Contentio Auguſtinum inter & Pelagianos circa Gratiam fuit præcisè de ea Gratia, quæ ſecundum fidem catholicam admitti debet: & quam negabant Pelagiani, ut patet. Sed adjutorium gratuitum, immediate afficiens voluntatem, & neceſſarium ad quodvis opus ſalutare faciendum, debet ſecundum fidem catholicam admitti, ut patet, & hoc pertinaciter negabant Pelagiani. Ergo de illo adjutorio erat præcisè contentio. Minor quoad 2. partem patet etiam ex dictis de quarto & ultimo ſtatu Pelagianiſmi, & ex lib. de Gratia Chriſti, c. 3. de Palagio ſic loquitur Sanctus Auguſtinus: *Nam Gratiam Dei & adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina: ut videlicet cùm adjuvat Deus hominem, ut declinet à malo & faciat bonum, revelando & oſtendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur; non etiam cooperando, & dilectionem inſpirando, ut id quod faciendum eſſe cognoverit faciat.* Et c. 8. *Hinc itaque apparet hanc eum Gratiam confiteri qua demonſtrat & revelat Deus quid agere debeamus; non qua donat atque adjuvat ut agamus.* Et lib. 5. operis imperfecti, quod opus morte præventus abſolvere

ſolvere non potuit, numero 48. ſic Julianum alloquitur: *quamvis & ipſum adjutorium, quod ſubminiſtrare Deum cogimini conſiteri, quale dicatis eſſe, non lateat. Legem quippe, non ſpiritum dicitis, cum Paulus Apoſtolus per ſubminiſtrationem Spiritus-Sancti nos doceat adjuvare: quod ideo commemorandum Putavi, ne forte qui audiunt vel legunt de ſubminiſtratione divini adjutorii ſententiam tuam, obliviſcantur hæreſim veſtram.*

Aliqui tamen Pelagiani fateri viſi ſunt Gratiam illam inſpirationis ſimpliciter neceſſariam eſſe, non quidem ad incipiendum, ſed ad perficiendum opus ſalutare, ſic tamen ut cum cæteris docerent eam propter præcedentia aliqua opera naturalia dari. Sed quoad hoc recenſendi ſunt inter Semipelagianos. Nam de illis hæc ait Sanctus Auguſtinus, lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 8. *Iſti enim volunt in homine ab ipſo homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cœpti meritum etiam perficiendi Gratia conſequatur: ſi tamen hoc volunt. Pelagius enim faciliùs dicit impleri quod bonum eſt, ſi adjuvet Gratia. Quo additamento, id eſt, addendo faciliùs, utique ſignificat ſe hoc ſapere, quod etiamſi Gratiæ defuerit adjutorium, poteſt, quamvis difficilius, impleri bonum per liberum arbitrium. Sed iſtis, quid in hac re ſentiunt, non de illo auctore*

ctore hujus hæresis præscribamus .... fortassis ergo ipsi eo modo saltem servant locum Gratiæ, ut sine illa putent hominem posse boni sed imperfecti cupiditatem: perfecti autem non facilius per illam posse, sed nisi per illam omnino non posse. Verùm & sic Gratiam Dei dicunt secundùm merita nostra dari.

Confirm. Quia Summi Pontifices & Concilia, à quibus Pelagiani damnati sunt, nunquam mentionem fecerunt Gratiæ necessitantis, sed solum Gratiæ etiam immediatè afficientis voluntatem ut necessariæ simpliciter ad quemvis actum salutarem, & gratis datæ. Ergo de hac, non de illa erat contentio Catholicorum cum Pelagianis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Pelagiani objiciebant S. Augustino, quód admitteret fatum: non nisi quia S. Doctor postulabat ab illis confessionem Gratiæ necessitantis. Ergo contentio erat inter illos de Gratia necessitante, quam tuebatur Augustinus, & negabant Pelagiani.

Resp. Nego min. Sed Pelagiani fatum falsò objiciebant S. Doctori; quia præcisè exigebat necessitatem Gratiæ interioris

terioris præsertim immediate afficientis voluntatem, quæ gratis, & non secundum merita naturalia, seu opera quædam bona solis naturæ viribus facta daretur, ut constat ex ipso Augustino, l. 2. contra duas epist. Pelagianorum, c. 5. ubi ait: *peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibns subditis diabolo. Ad bene autem pièque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis* Dei *Gratia fuerit liberata, & ad omne opus bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta .... nec sub nomine Gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis* Dei *Gratiam dicimus antecedi .... unde autem eis visum fuerit nobis objicere, quòd fatum asseramus sub nomine Gratiæ, cum aliquanto attentius cogitarem, priùs eorum verba quæ consequuntur inspexi. Sic enim hoc nobis objiciendum putarunt: sub nomine, inquiunt, Gratiæ ita fatum asserunt, ut dicant, quia nisi Deus invito & reluctanti homini inspiraverit boni & ipsius imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum possit arripere .... ex his eorum verbis intellexi, ob hoc illos vel putare vel putari velle, fatum nos asserere sub nomine Gratiæ, quia Gratiam* Dei *non secundùm merita nostra dicimus dari, sed secundùm ipsius misericordissimam voluntatem, &c.*

Obj. 2. Pelagiani accusarunt Sanctum Augustinum & alios Catholicos Manicheismi: non nisi quia ab illis exigebant confessionem Gratiæ irrepudiabilis. Ergo.

Resp. Nego min. Sed Pelagiani Catholicos Manichæismi insimulabant, tum quòd assererent homines nasci infectos peccato originali: Unde inferebant Pelagiani naturam humanam secundùm catholicos à Deo creari malam, quod erat error Manichæorum. Tum quòd Catholici admitterent Gratiam prævenientem, quæ ex mera Dei misericordia non secundum merita nostra daretur, & quæ voluntatem ità congruè moveret, ut eam infallibiliter ex nolente faceret volentem: unde Pelagiani dicebant induci fatum, & tolli liberum arbitrium, ut sentiebant Manichæi.

Obj. 3. Pelagius admittebat adjutorium possibilitatis, & negabat adjutorium voluntatis & actionis. Sed per adjutorium possibilitatis intelligebat Gratiam, quæ sic moveret voluntatem, ut relinqueret potestatem resistendi. Ergo.

Resp. Nego min. Nam Pelagius per adjutorium, quo possibilitatem seu liberum arbitrium adjuvari dicebat, intelligebat legem & doctrinam, sub qua comprehendebat exempla Christi, & internas illustrationes,

tiones, five adjutorium oftendens quid agendum omittendumve fit: per adjutorium veró voluntatis & actionis intelligebat cum Catholicis Gratiam infpirationis, qua voluntas immediate inclinatur & excitatur ad volendum bonum, & corroboratur ad illud agendum. Hoc conftat ex S. Auguftino, lib. de Gratia Chrifti, c. 6. ubi de Pelagio fic loquitur: *Hanc autem naturalem poffibilitatem quod adjuvari Dei Gratia confitetur, non eft hic apertum, vel quam dicat Gratiam, vel quatenus ea naturam fentiat adjuvari. Sed ficut aliis locis, in quibus evidentius loquitur, intelligi poteft, non vult aliud accipi quam legem atque doctrinam, qua naturalis poffibilitas adjuvetur.* Et c. 41. *In his etiam quatuor libris* (de libero arbitrio) *quæcumque pro Gratia videtur dicere* (Pelagius) *qua juvamur, ut declinemus à malo, bonumque faciamus, ita dicit, ut nullo modo à verborum ambiguitate difcedat, quam difcipulis fic poffit exponere, ut nullum auxilium Gratiæ credant, qua naturæ poffibilitas adjuvetur, nifi in lege atque doctrina: ita ut ipfas quoque orationes, ut in fcriptis fuis apertiffimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, nifi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum effe didicerit, etiam dilectione & actione perficiat. Ab illo*

enim

enim suo manifestissimo dogmate non recedit omnino, ubi tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem, actionem; & solam possibilitatem dicit divino semper adjuvari auxilio: voluntatem autem & actionem nullo Dei adjutorio existimat indigere. Ipsum vero auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam Spiritu-sancto revelari, propter quod & orandum esse concedit. Sed hoc adjutorium legis atque doctrinæ etiam propheticis fuisse temporibus adjutorium autem Gratiæ, quæ propriè Gratiæ nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo. Quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis evangelica prædicatur, ut videlicet tanquam via demonstrata qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis ne deficiamus in via.

Obj. 4. Sanctus Augustinus contendebat contra Pelagianos admitti debere Gratiam, quæ operatur in nobis velle & perficere, quæ facit hominem de nolente volentem, qua persuadetur bonum. Sed talis gratia non relinquit in voluntate indifferentiam activam: ergo.

Resp. Nego min. Nam gratia congrua excitans verè operatur in nobis velle & perficere, facit hominem de nolente volentem, non necessitando & determinando,

do, ſed excitando, phyſice inclinando & roborando voluntatem eo modo qui congruit ut velit & agat. Similiter gratia congrua immediate voluntatem ad bonum volendum & agendum movens & inclinans eo modo, qui congruit ut voluntas velit & agat, eſt gratia, qua non ſolum ſuadetur quod bonum eſt, ſed etiam perſuadetur, quamvis voluntas poſſit ei diſſentire, ut docet Conc. Trident.

Dices 1. Si Gratia illa relinquit voluntati indifferentiam agendi & non agendi, ipſum velle & agere debet tribui voluntati, non Gratiæ. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Nego ſeq. maj. Nam ipſum velle & agere tribui debet ſimpliciter, primario & principaliter Gratiæ ut cauſæ principi, ſuperioris ordinis, & totali in illo ordine, & danti voluntati vires volendi & agendi bonum ſalutare, nilque ab ea accipienti: ſiquidem voluntas re ipſa volens & agens bonum ſalutare, non vult nec agit niſi dependenter à Gratia interna, illam phyſicè movente, excitante, complente, roborante & adjuvante, nilque accipiente à voluntate, ſed econtra dante voluntati vires ad volendum & agendum bonum ſalutare.

Dices 2. Voluntas cum Gratia relinquente indifferentiam activam, dat ſibi velle

velle & agere: Ergo neutrum accipit à Gratia.

Resp. Voluntas dat quidem sibi velle & agere ut causa minùs principalis, & dependenter à Gratia ut causa superiore, principali, dante ei vires ad volendum & agendum. Sed voluntas prius natura accipit à Gratia velle & agere quam sibi utrumque tribuat: nam voluntas non se ipsam determinat nec agit, nisi prius à Gratia physicè moveatur, excitetur, elevetur, roboretur, & adjuvetur ad volendum & agendum.

Dices. 3. Effectus à duabus causis ortus tribui debet soli causæ se ipsam determinanti. Ergo.

Resp. Neg. ant. Nam in Angelis viatoribus, etiam secundùm Jansenium, voluntas erat causa se ipsam determinans, & tamen quis dicat consensum salutarem Angelorum viatorum tribuendam esse soli voluntati angelicæ? Itaque bonum salutare in omni statu atribui debet etiam Gratiæ, & quidem primariò ac principaliter, utpote causæ principi, superiori, & totali in ordine superiori, & danti vires voluntati ad consensum salutarem, nilque ab ea accipienti: unde voluntas non se determinat nisi ex virtute Gratiæ. Et verò omnis effectus rectè attribuitur suæ causæ pro ratione

tione influxus causæ in ipsum. Hinc actus supernaturales Fidei, Spei, Charitatis attribui possunt & debent habitibus supernaturalibus, quamvis non determinent voluntatem.

Obj. 5. S. Augustinus contendebat cum Pelagianis de Gratia, quam ipsi repudiabant, quia putabant eam tollere libertatem arbitrii, quam ponebant in indifferentia activa. Ergo contentio erat inter illos de Gratia necessitante, nam evidens est Gratiam repudiabilem non posse tollere libertatem.

Resp. Dist. ant. Quia putabant eam tollere libertatem arbitrii male intellectam, *conc. ant.* Benè, & secundùm rei veritatem intellectam, *nego antec.* Equidem Pelagiani rejiciebant Gratiam voluntatem immediatè afficientem, inclinantem, excitantem ut gratuitam & necessariam ad actus salutares, quia putabant cum ea stare non posse libertatem indifferentiæ activæ. Sed ideò putabant ejusmodi Gratiam tollere libertatem indifferentiæ, quia male intelligebant hanc libertatem. Libertatem quippe indifferentiæ constituebant in completa facultate volendi & agendi etiam bonum salutare independenter ab omni auxilio voluntatem præveniente, excitante & corroborante, præsertim gratuito, quod nempe non esset in nostra potestate naturali ut

 adesset.

adesset. Unde sentiebant Gratiam prævenientem, gratuitam & necessariam ad quoslibet actus salutares repugnare indifferentiæ activæ, non prout est præcisè virtus se determinandi per electionem ad utrumlibet ex oppositis, sed ut est virtus se sola completa, sibique sufficiens etiam ad bonū salutare, qualem intelligebant libertatem arbitrii etiam præsentis status.

Hoc constat tum ex S. Augustino, l. de gestis Pelagii, c. ult. ubi hanc ejus propositionem refert: *Quòd non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei*: tum ex S. Hieronymo, in epist. ad Ctesiphontem, ubi sic Pelagianum loquentem inducit: *Frustra dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit. Destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero; ac per hoc aut utor semel potestate, quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium: aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruitur.* Libertas verò arbitrii benè & catholicè intellecta, est facultas completa & expedita se determinandi per electionem ad utrumlibet ex oppositis, facultas agendi vel non agendi positis omnibus ad agendum prærequisitis. Sed hæc facultas non est completa quoad actum salutarem nisi

per

per Gratiam, quæ primum locum tenet inter requisita ad agendum salutariter.

Obj. 6. Pelagius admisit Gratiam inspirationis, quæ nempe immediatè afficeret voluntatem: nam sic loquitur apud S. Augustinum, l. de Gratia Christi, c. 10. *Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodò præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis .... suadet omne quod bonum est.* Ergo.

Resp. 1. Esto ant. neg. conseq. Esto Pelagius admiserit Gratiam voluntatis & inspirationis quoad existentiam: at certum est, eum numquam illam admisisse ut necessariam simpliciter ad omnem actum salutarem, & ut gratuitam. Nam ex S. Augustino constat Pelagium non admisisse ullam Gratiam internam nisi ad faciliùs posse bonum agere, & quæ secundùm merita naturalia daretur: unde semper manet, controversiam fuisse de Gratia interna ut simpliciter necessaria ad quemvis actum salutarem, & gratuita, seu de necessitate Gratiæ internæ ad quodvis opus salutare quæ gratis daretur: non autem de Gratia quæ voluntatem determinaret. Quod no-

bis sufficit contra Jansenium, & alios falsò docentes fuisse controversiam de Gratia adjuvante prædeterminante.

Resp. 2. Neg. ant. Nam Pelagius non admisit Gratiam, qua Deus in nobis immediaté operatur velle, sed tantùm mediatè, mediante scilicet illustratione intellectus; ostendendo per legem & doctrinam sive exteriùs, sive interiùs per Spiritum sanctum propositam, vel proponendo præmia aut supplicia. Et verò Pelagius hoc loco totum dicit, Deum in nobis, operari velle bonū, proponendo præmiorum magnitudinem, & Deum in desiderium sui stupentem suscitare voluntatem revelatione sapientiæ. Et ita S. Augustinus hæc Pelagii verba à se relata exponit, *quid manifestiùs*, inquit, *nihil aliud eum dicere Gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quàm legem atque doctrinam? in lege namque & doctrina sanctarum Scripturarum, futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quòd sapientia revelatur. Ad doctrinam pertinet, cùm suadetur omne quod bonum est.* Igitur Pelagius hoc loco nullam aliam Gratiam admittit, quàm legem atque doctrinam, & Gratiam illuminationis, quæ ad Gratiam legis & doctrinæ meritò à S. Augustino revocatur. Nam interna mentis illustratio præcisè docet, & similiter

ter docent lex atque doctrina interiùs propositæ.

Dices. S. Augustinus, l. de Gratia Christi, cap. 29. postquam retulit hæc Pelagii verba: *ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per Gratiam:* ait: *tolle faciliùs, & non solùm plenus, verùm etiam sanus est sensus, si ita dicatur: ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, possint implere per Gratiam.* Ergo Pelagius agnovit veram Gratiam quoad existentiam.

Resp. Neg. conseq. Quia cùm S. Doctor dicit, *tolle faciliùs, &c.* vult solùm propositionem hanc (*ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, implere possint per Gratiam*) catholicum esse in sensu obvio, quidquid tandem Pelagius nomine Gratiæ intelligat: quod hoc loco non expendit S. Augustinus, quia hic intendit unum hunc ex Pelagii erroribus confutare, nempe quòd Gratia non requiratur nisi ad faciliùs agendum bonum salutare, & verò S. Doctor, c. 31. expendens hæc alia Pelagii verba: *ad peccandum & non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos, quod in omnibus bonis operibus divino semper adjuvatur auxilio:* asserit hæc postrema Pelagii verba ambigua esse, eumque posse per divinum auxilium, *sicut solet, velle intelligi legem atque doctrinam.*

ARTICULUS III.

Errores Semipelagianorum circa Gratiam.

EX occasione librorum à S. Augustino contra Pelagianos scriptorum, in quibus ostendit Gratiam actualem interiorem prævenientem esse necessariam ad quodliber oput salutare, & simul omninò gratuitam esse, nec omnibus dari ac præparari Gratiam efficacem sine qua nullum fit opus salutare, sed iis solùm donari, quibus Deus ex mera misericordia eam præparavit, ideoque prædestinationem ad Fidem & Gratiam cum salute connexam esse omninò gratuitam, erupit Semipelagianorum hæresis in Gallia, quorumdam scilicet Episcoporum ac Presbyterorum provinciæ Lugdunensis & Arelatensis, & præsertim Presbyterorum Massiliensis Ecclesiæ: unde Semipelagiani Massilienses dicti sunt. Horum doctrinam S. Prosper & Hilarius vir laicus sed eruditus fusè exponunt, in suis ad S. Augustinm Epistolis, cujus opem contra illorum errores efflagitant.

Litteris Prosperi & Hilarii acceptis, S. Augustinus libros de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ composuit. Sed his non convicti sunt Semipelagiani. Imó post S. Augustini mortem cœperunt

runt vehementiùs doctrinam ejus impugnare, & tredecim capitula ediderunt, quibus dicebat continere quidquid damnabile repererant in scriptis S. Doctoris. Quibus capitulis cùm respondisset Prosper, unus ex eis Vincentius nomine, alia sexdecim capitula contrà ipsum Prosperum edidit.

Cúm autem Augustini obtrectatorum, inter quos eminebant Cassianus & Faustus Rejensis Episcopus, auctoritati resistere non possent Hilarius & Prosper, Cœlestini I. opem implorarunt. Is ad compescendas has turbas Epistolam ad Episcopos Galliæ scripsit, in qua graviter eos objurgat, quòd sinerent Presbyteros quosdam, Augustini scilicet obtrectatores, errores prædicare; jubet ut Presbyteri illi à concionibus arceantur, S. Augustinum ejusque doctrinam laudat. In fine Epistolæ aliquot capitulis exponuntur & comprobantur ea, quæ à summis Pontificibus & à Conciliis Africanis definita fuerunt in materia Gratiæ. Sed hæc capitula à multis viris eruditis abjudicantur Cœlestino, & adscribuntur Prospero: quæ posteà Cœlestini Epistolæ per modum cujusdam appendicis adjecta sunt. Sunt qui censent hæc eadem capitula fuisse postea à Cœlestino ipso confirmata.

Denique anno 529. celebratum est Conc. Arausicanum II. tredecim Episcopo-

rum, præside S. Cæsario Arelatensi, in quo aliquot capitula à Romano Pontifice missa ut ab omnibus observarentur, lecta & subscripta sunt ab omnibus Episcopis, ut patet ex præfationes, quam sequentur 25. capitula, quæ año sequenti à Bonifacio II. approbata & confimata sunt, & à tota Ecclesia ut fidei dogmata opposita erroribus Semipelagianorum recepta sunt & habentur. Paulò post hoc Concilium extincta penitùs fuisse videtur Semipelagianorum Secta.

Inter Semipelagianos numerantur viri doctrina & pietate præstantes, scilicet Hilarius Arelatensis Episcopus, ut colligitur ex Prosperi ad Augustinum Epistola, Joannes. Cassianus Abbas, in sua collatione 13. Faustus Rejensis, &c.

Dico. Præcipuus Semipelagianorum error, ex quo alii sequebantur, in eo consistebat, quòd admitterent initia quædam fidei, justitiæ, & salutis, quæ non essent à Gratia præveniente, sed à solis naturæ viribus, nimirum volitionem credendi, dem inchoatam seu imperfectam, desiderium sanitatis & salutis, orationem, & quosdam conatus emergendi è cæno peccati, & actus virtutum exercendi: per quæ initia fidei & salutis ex solis naturæ viribus elicita dicebant obtineri infallibiliter primam Gratiam, & alias Gratias interiores necessarias ad ser-

vanda

vanda mandata, & ad opera salutaria exercenda. Nam hæc salutis initia inter opera bona seu salutaria non numerabunt: unde fatebantur Gratiam interiorem prævenientem tum illustrationis, tum piæ motionis voluntatatis necessariam esse ad incipienda & perficienda opera salutaria.

Ex hac doctrina sequebantur alii Semipelagianorum errores, scilicet.

1. Primam Gratiam non dari gratis, sed utcumque debitã reddi quibusdam actibus ex solis naturæ viribus elicitis. Itaque sentiebant Gariam illam, cujus ope homo se disponit ad justificationem, dari intuitu boni usus liberi arbitrii, eumque supponere: ita ut qui eam accipit, ideò accipiat, quia bono naturæ bene usus ad eam meruit pervenire: qui verò eam non accipit, ideo non accipiat, quia non bene usus bono naturæ, ad eam pervenire non meruit. Quidam tamen ex Semipelagianis putabant aliquibus interdum hanc Gratiam donari, etiamsi non bene usi sint libero arbitrio: sed negabant eam omnibus sic gratis dari.

2. Gratiam, quæ omnia humana merita prævenit, esse naturam seu liberum arbitrium gratuitò nobis à Deo donatum, quo solo possumus velle credere, velle sanari, orare, &c. Et per volitionem credendi, fidem inchoatam, desiderium salutis, ora-

tionem

tionem ex solis naturæ viribus elicita obtineri auxilia Gratiæ ad justificationem consequendam, & ad servanda omnia mandata usque in finem. Ad initium tamen fidei prærequirebant prædicationem fidei externam, qua posita voluntas ex se sola poterat velle, credere, orare, inquirere salutem.

3. Non dari prædestinationem gratuitam ad Gratiam & Fidem.

4. Deum velle indifferenter seu æqualiter salutem omnium hominum.

5. Christum pro omnibus omnino hominibus æqualiter mortuum esse, seu ex æquali affectu mortem pro omnium salute obtulisse.

6. Infantes, qui cum Baptismo moriuntur, ideo baptizatos fuisse, quia Deus prævidit eos bonam vitam acturos fuisse, si ad adultam ætatem pervenissent: eos verò qui sine Baptismo moriuntur, ideo non fuisse baptizatos, quia Deus prævidit eos malè victuros fuisse, si libero arbitrio usi fuissent.

7. Evangelium ideo prædicari his nationibus quibus prædicatur, quia Deus prævidit illas esse credituras si illud audirent; & ideo non prædicari aliis nationibus, quia Deus prævidit illas non esse credituras.

8. Deum

8. Deum ad gloriam prædeſtinaſſe infantes, qui ante annos diſcretionis moriuntur, ex prævifione operum ſalutarium quæ feciſſent ſi diu vixiſſent: adultos verò omnes & ſolos, quos prævidit ex ſolis naturæ viribus elicituros volitionem credendi, fidem inchoatam, orationem, & per hos actus naturales accepturos auxilia Gratiæ, quibuſcum mandata uſque in finem ſervaturi ſunt.

Hæc omnia conſtant ex S. Proſpero, Hilario, ex S. Auguſtino, & ex Fauſti Rejenſis libris de libero arbitrio, ex his autem ſequitur non à Salvatore & Auctore ſalutis, ſed à natura initium ſalutis duci, & ipſam ſalutem oriri.

Porro hi, qui ita ſentiebant, dicti ſunt Semipelagiani, eò quòd non omnes Pelagianorum errores admitterent. Nam ab iis diſſentiebant in eo quòd confiterentur tum peccatum originale, tum neceſſitatem Gratiæ interioris, etiam immediatè afficientis voluntatem ad opera ſalutaria exercenda. Iis verò conſentiebant in eo quòd docerent hominem poſſe ex ſolis naturæ viribus velle, credere, deſiderare ſalutem, orare, & quidem utiliter ad ſalutem, & Gratiam dari proprer opera merè naturalia; quamvis hæc inter opera ſalutaria non recenſerent.

AR-

ARTICULUS IV.

Utrùm Semipelagiani admiſerint neceſitatem Gratiæ interioris prævenientis ad initium ſalutis?

§. I.

Nota. JAnſenius, l. 8. de hæreſi Pelagiana, docet Semipelagianos admiſiſſe adjutorium ex parte voluntatis neceſſarium etiam ad initium fidei, orationem, &c. Sed in hoc erraſſe, quòd dicerent voluntatem poſſe tali Gratiæ reſiſtere. Sic enim, l. cit. l. 6. ait. *in hoc ergo propriè Maſſilienſium error ſitus eſt, quòd aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo ſaltem credere poſſet ſi vellet: neuter tamen abſque interioris Gratiæ adjutorio, cujus uſus vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio & poteſtate.* Ex quo patet in Janſenii libro contineri quoad ſenſum ab eo intentum ſeu expreſſum quartam ex quinque famoſis propoſitionibus ab Eccleſia damnatis.

Dico. Semipelagiani non admiſerunt neceſſitatem Gratiæ interioris ex parte voluntatis ad initium ſalutis, ſcilicet ad voluntatem credendi fidem inchoatam, deſiderium ſanitatis, & orationem; ſed docuerunt

runt ad hos actus sufficere naturales liberi arbitrii vires.

Prob. 1. Ex testimonio Hilarii, Semipelagianorum, inter quos morabatur, doctrinæ peritissimi, in sua ad S. Augustinum Epistola, ubi ait: *Id conveniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, ut cùm prostratis, & numquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio: eo merito quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum.* Et infra. *Quod dicitur: crede, & salvus eris; unum horum exigi asserunt, aliud offerri: ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur, deinceps tribuatur. Unde consequens putant, exigendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate conditoris concessum est; & nullam ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat vel possit se velle sanari: propter quod vel sanetur quis à sua, vel si noluerit, cum sua ægritudine puniatur, nec negari Gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat* (ad justificationem scilicet, & salutem per se consequendam.) Ergo ex Hilario Semipelagiani sentiebant hominem posse solis naturalibus arbitrii viribus velle sanari, & merito hujus voluntatis ac fidei, consequi augmentum fidei & justificatio-

ficationem. Item putabant ab homine exigi fidem, ad quam ſola natura ſufficiat, ut poſtea ſanetur, nec negari Gratiæ neceſſitatem, ſi dicatur præcedere volitio ſolis naturæ viribus elicita, quæ quærat medicum ſeu oret. Ergo ſentiebant hominem non egere Gratia interna ex parte voluntatis ad fidem inchoatam, & orationem.

Prob. 2. Ex S. Proſpero, in ſua ad S. Auguſtinum Epiſtola, ubi ſcribit Semipelagianos aſſerere: *quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantùm autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo ſponte* (id eſt ex ſolis naturæ viribus) *crediderint, & auxilium Gratiæ merito credibilitatis acceperint.* Et inferiùs: *cùm in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo ſint quæ humanam operentur ſalutem, Dei ſcilicet Gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam eſſe quàm Gratiam, ut initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare qui ſalvat: & voluntas hominis divinæ Gratiæ ſibi pariat opem, non Gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem: &c.*

Prob. 3. Ex S. Auguſtino, lib. de dono perſeverantiæ, c. 2. ubi de Semipelagianis ſic ait: *qualiſcumque inventa eſt contradictio, ut donum Dei, non initium, ſed augmentum fidei diceretur.* Et, c. 23. *attendant ergo quomodò falluntur, qui putant eſſe à nobis, non*

dari

dari nobis, ut petamus, quæramus pulsemus, & hoc esse dicunt, quód Gratia præcedi-tur merito nostro, ut sequatur illa, cùm accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus. Et, l. de prædestinatione Sanctorum, c. 3. postqum retulit hæc Apostoli verba: *quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quare gloriaris quasi non acceperis?* Sic ait: *Quo præcipuè testimonio etiam convictus sum, cùm similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter & justè & piè vivamus in hoc sæculo. Neque enim fidem putabam Dei Gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur, quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis: ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & in nobis ex nobis esse arbitrabar.* Ergo S. Augustinus, cùm eodem errore, quo posteà Semipelagiani laborabant, detineretur, putabat fidem non esse donum Dei, sed in nobis esse à nobis, hoc est, à solis naturæ viribus; & hoc sentiebat, quia putabat fidem non pendere à Gratia præveniente, sed ad eam præter naturales arbi-

trii

trii vires sufficere externam veritatis Evangelicæ propositionem. Ergo hoc idem sentiebant Semipelagiani.

Prob. 4. Ex Innocentii X. Constitutione ab Ecclesia Catholica recepta, qua ut falsa & hæretica damnatur hæc Jansenii propositio: *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etianm ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Hujus propositionis pars prior, nempe (Semipelagiani admitterent Gratiæ prævenientis necessitatem etiam ad initium fidei) damnata est ut falsa: posterior verò, nempe (& in hoc erant hæretici quòd vellent tali Gratiæ posse resisti) ut hæretica damnata est. Nam cùm propositioni duplex inusta sit nota, nempe falsitatis & hæreticitatis, ut falsa damnatur secundùm priorem sui partem, & ut hæretica secundum posteriorem, ut rectè notat Illust. Carnotensis Episcopus, in sua institutione Pastorali, qua damnantur institutiones Theologicæ, Jansenianam hæresim continentes. Ergo Ecclesia Catholica, quæ Innocentii Constitutionem recepit, damnat ut falsum quòd Semipelagiani admitterent necessitatem Gratiæ prævenientis etiam ad initium fidei.

Ergo

Ergo eos hanc necessitatem non admisisse, certum est saltem fide Ecclesiastica, quæ nititur motivo infallibili, nempe auctoritate Ecclesiæ circa textus dogmaticos. Præterea si prior pars propositionis damnatæ, quæ est facti dogmatici, esset vera; altera pars, quæ est juris, esset quoque vera: quod est hæreticum. *Prob. seq. maj.* Si verum est Semipelagianos admisisse prævenientis Gratiæ necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei, illi non errassent nisi circa modum quo Gratia illa voluntatem permoveret, & fuerunt in eo hæretici, quod dicerent Gratiam interiorem esse talem, cui voluntas humana posset resistere vel obtemperare, quæ est secunda pars propositionis, in quam cadit hæreseos nota. Neque enim fuerunt in eo hæretici quód admitterent Gratiam per se efficacem in sensu Jansenii & aliorum, ut facile concedunt adversarii, alioqui faterentur se esse Semipelagianos. Igitur prior pars propositionis jus ipsum etiam involvit, & ita cum posteriore connexa est ut illa nequeat esse vera quin vera quoque sit altera.

§. II.
Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Prosper, in sua ad S. Augustinum Epist. sic de Massiliensibus ait: *Nec considerant se Gratiam, nec considerant Gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam non negant esse præventas.*

Resp. Semipelagini admiserunt Gratiam comitem, & prævenientem bona opera, quæ sola dicebant esse salutaria, sed non prævenientem fidem, orationem, quas non numerabant inter opera salutaria. Et nunquam agnoverunt necessitatem Gratiæ interioris prævenientis, quam fides vel oratio ex solis naturæ viribus elicita saltem ut prævisa non possit præcedere.

Obj. 2. S. Augustinus, l. de prædestin. Sanctorum, cap. 1. de Semipelagianis ait: *Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei Gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum, sibi quemquam sufficere posse consentiant.* Ergo Semipelagiani admiserunt fidem & orationem esse à præveniente Gratia.

Resp. Nego conseq. Nam, ut ex Prospero & Hilario constat, Semipelagiani inter

inter opera bona, pia ac salutaria non numerabant fidem inchoatam, desiderium salutis, & orationem; negabantque istos actus esse proprie opera salutis & pietatis, fortasse quia putabant esse actus merè naturales, nec nisi remotè conducere ad salutem. Unde S. Augustinus, post verba objecta sic loquitur, c. 2. *Prius itaque fidem, qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere .... sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo .... quasi non pertineat ad Dei Gratiam, quòd credere cœpimus, sed illud potiùs quod propter hoc nobis additur, ut plenius perfectiusque credamus: ac per hoc, initium fidei nostræ prioris damus Deo, ut retribuatur nobis & supplementum ejus, & si quid aliud fideliter poscimus.* Hinc etiam post quam Hilarius, in sua ad Augustin. Epist. dixit: *cæterum ad nullum ejus* (salutare ac pium) *vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt*: statim subjicit: *Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanare.*

Obj. 3. Cassianus unus è Semipelagianorum ducibus, collatione 3. cap. 4. ait:

ex Deo quidem est, quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum, nonnumquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ ac salutis exsuscitat, Deumque sequi, & ejus inhærere præceptis, compunctione saluberrima cohortatur. Et, collatione 13. cap. 3. *Quibus manifeste colligitur, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi.*

Resp. Cassianus docuit hominem præveniri Gratia aliquando, sed non semper; & ex hominibus alios inchoare salutem ex solis naturalibus liberi arbitrii viribus, alios verò ex præveniente Gratia, quamvis hi potuerint etiam illam inchoare ex solis naturalibus viribus: quod constat ex collatione 13. c. 9. ubi ait: *ut autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est, dicens: velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Et cap. 11. *Si Gratia Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus quid de Zachæi fide, quid de illius in cruce latronis*

latronis pietate dicimus, qui desiderio suo vim quamdam regnis cœlestibus inferentes, specialia vocationis monita prævenerunt? .... Cùm viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat. Et c. 13. *Ita semper Gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit, ac defendit, ut nonnumquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel expectet; ne penitùs dormienti, aut inerti otio dissoluto sua dona conferre videatur.* Quare licèt Cassianus admiserit Gratiam interdum prævenire voluntatem hominis, tamen eam non admisit ut necessariam. Quod etiam patet ex testimonio S. Prosperi, l. adversùs Collatorem, ubi hæc de Cassiani sententia ait: *His definitionibus hoc docetur .... inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta, ut possit qui voluerit, judicio naturali Dei Gratiam prævenire, & adjutorium ejus, quo facilius ad perfectionem perveniat, promereri: quia nullius sit laudis ac meriti, qui donatis bonis non propriis adornatur. Cavendum quoque esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referantur, quasi per se nihil boni possit agere ipsa natura humana, cùm tanta sit ejus virium integritas, ut contra ipsum diabolum, sæ-*

vitiamque ejus usque ad extrema supplicia sine auxilio Dei valeat dimicare.

Obj 4. Faustus, lib. 2. de Gratia, c. 6. primas partes tribuit Gratiæ.

Resp. Per Gratiam ibi intelligit Gratiam externam, nempe propositionem veritatis Evangelicæ. Quod satis patet ex capite sequenti, ubi ait: *Ita Dominus invitat voluntatem, trahit desiderantem, erigit adnitentem: quid est autem trahere, nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare? &c.* Præterea etiam si hoc intelligeret de Gratia interna, sequeretur tantùm, quód primas partes tribuat Gratiæ in operibus salutaribus, ad quæ Semipelagiani fatebantur necessariam esse, non autem in initiis salutis, seu fide, oratione, quæ nolebant dici opera salutaria.

Porro Semipelagiani per Gratiam initialem intelligebant dona naturalia intellectus ac voluntatis, & prædicationem Evangelicam seu instructionem externam.

Obj. 5. Gennadius, lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 19. ait: *Initium ergo salutis nostræ, Deo miserante, habemus: ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: ut adipiscamur, quod acquiescendo monitioni cupimus, divini est muneris, &c.*

Resp. His verbis non exponitur sen-

tentia

tentia Semipelagianorum," sed exprimitur dogma Catholicum si rectè intelligantur. Equidem Gennadius, in suo de viris illustribus libro Cassianum & Faustum Rejensem multum laudavit, Prosperum verò Gratiæ defensorem depressit; sed novum non est, quòd aliqui varias ob causas errorum authores aut sectatores ament & laudent, licet eorum erroribus non adhæreant, præsertim si nondum fuerint ab Ecclesia damnati. Quòd si Gennadius aliquando Semipelagianus fuit, certe resipuit antequam librum de Ecclesiasticis dogmatibus scriberet: vel hic liber non est Gennadii, sed álterius Authoris; nam patet hunc librum à Doctore Catholico compositum fuisse.

Nota. Semipelagiani docebant initium salutis esse à nobis in hoc sensu, quod ex solis naturæ viribus credimus, salutem desideramus, petimus, inquirimus, & illorum actuum merè naturalium intuitu ac merito Gratiam justificationis & auxilia Gratiæ ad servanda omnia mandata necessaria obtinemus. His autem salutis initiis infallibilem vim merendi Gratiam internam sive de condigno, sive de congruo tantùm attribuebant. Nam sentiebant id à Deo certa lege statutum fuisse, ut ponentibus hæc salutis initia tribueretur Gra-

tia.

tia. Hanc rationem afferebant: quia alioqui Deus esset acceptor personarum, & dona sua irrationabiliter distribueret.

ARTICULUS V.

Utrum controversia fuerit Catholicos inter & Semipelagianos de Gratia necessitante?

Nota. JAnsenius (ut dictum est) docet Semipelagianos admisisse necessitatem Gratiæ prævenientis etiam ad initium salutis, & in hoc erravisse, quod dicerent talem Gratiam repudiari posse: unde asserit inter illos & Catholicos contentionem fuisse de necessitate Gratiæ necessitantis, quam negabnat Semipelagiani, & tuebantur Catholici.

Dico. S. Augustini & aliorum Catholicorum contentio cum Semipelagianis non fuit de Gratia necessitante, sed de necessitate interioris Gratiæ prævenientis etiam ad quodvis initium salutis, fidem, orationem, & ad omnem actum aliquid conducentem ad salutem æternam.

Prob. 1. Quia (ut probatum est) S. Augustinus semper sensit manere sub Gratia etiam efficaci libertatem ab omni necessitate antecedente intrinseca.

Prob. 2. Quia Semipelagiani non admittebant necessitatem interioris Gratiæ

præ-

prævenientis ad initium salutis, ut præcedenti articulo ostensum est; & fide constat Gratiam interiorem prævenientem relinquere voluntati libertatem ab omni necessitate simplici intrinseca. Ergo Semipelagianos inter & Catholicos controversia esse non potuit de necessitate Gratiæ necessitantis, sed fuit de Gratiæ interioris prævenientis necessitate etiam ad quodvis initium salutis.

Prop. 3. Ex S. Augustino, qui, l. de prædestin. Sanctorum, c. 2. statum controversiæ cum Semipelagianis sic exponit: *Priùs itaque fidem, qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere, si tamen diligentiùs id facere possumus, quam in voluminibus tot tantisque fecimus. Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo, tamquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tamen augeatur in nobis eo merito quo cœpit à nobis, &c.* Semipelagiani autem dicebant non ex nobis habere fidem, nec ipsam nobis à Deo donari, quia sentiebant ad illam sufficere naturales liberi arbitrii vires, nec illam præveniri interiore Gratia, ut S. Augustinus testatur se sensisse, cum similiter erraret.

Prob.

Prob. 4. Ex S. Profpero, l. contra Collatorem, ubi Caffianum arguit, non quòd afferat ad initium falutis fufficere Gratiam repudiabilem, fed quod defiderium virtutum foli naturali arbitrio adfcribat, quod doceat hominem habere ex folis naturæ viribus defiderium fanitatis, orationem, & falutares conatus; fic enim ait: *Ecce hic etiamfi bonis cœptis neceffarium Dei fateris auxilium; ipfos tamen laudabiles motus appetitufque virtutum, remota Gratia Dei, nudæ libertati adfcribis arbitrii: ut boni falubrefque conatus nequeant quidem proficere, nifi Deus adjuvet; poffunt tamen etiamfi à* Deo *non infpirentur, incipere. Deinde ut evidentius definias, quid hoc ex libero arbitrio habeat, quid fumat ex Gratia* Dei, *addis & dicis: nec enim cum voluerit quis, fanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrii fui defiderio liberatur. Doces ergo non poffe quidem hominem per femetipfum apprehendere fanitatem, fed habere eum à femetipfo defiderium fanitatis, & fua tantùm fponte venire ad medicum, non etiam hoc medici quod veniat.* Et in eodem libro Caffianum objurgat, quòd dicat Gratiam Dei fecundùm merita noftra dari, afferendo in hominibus aliquem bonum actum & conatum ex folis naturæ viribus elicitum præcedere, propter quem Gratiam ad juftificationem & ad exercenda alia opera falu-

salutaria consequantur: *Convinceris*, inquit, *dicere Gratiam Dei secundùm merita nostra dari, cum aliqud præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod Gratiam consequantur, affirmas.*

Confirm. Quia Cælestinus I. in in sua ad Gallos Episcopos epist. Concilium Arausicanum II. in suis canonibus seu capitulis continentibus doctrinam Catholicam oppositam erroribus Semipelagianorum, & Bonifacius II. hos canones approbans & confirmans nullam mentionem faciunt Gratiæ necessitantis vel prædeterminantis, nec definiunt eam necessariam esse ad initium salutis; sed definiunt interiorem Gratiam prævenientem necessariam esse ad quemlibet actum conducentem aliquid ad salutem, & ad quodvis initium fidei ac salutis. Ergo Catholicos inter & Semipelagianos contentio non fuit de Gratia necessitante, sed de Gratiæ interioris prævenientis necessitate ad quodvis initium salutis: alioqui Summi Pontifices & Episcopi Catholici nil egissent, nec condemnassent errores contra quos agebant.

Obj. 1. S. Prosper, in sua ad S. Augustinum Epistola, eum rogat, ut explicet quomodo Gratia illa interior, sine qua dicit neminem credere, aliudve bonum agere,

agere, non tollat liberum arbitrium; nam sic ait: *obsecro ut digneris aperire, quomodo per istam præoperantem & cooperantem Gratiam liberum non impediatur arbitrium.* Ergo contentio erat cum Semipelagianis de necessitate Gratiæ necessitantis etiam quoad initium salutis.

Resp. Nego conseq. imò contrarium potiùs ex antecedente sequitur: nam Prosper non postularet à S. Augustino quomodo Gratia, de qua agebatur, non tolleret libertatem, si Catholici censuissent illam esse necessitatem. Si enim illa Gratia necessitat, per se evidens est per eam adimi liberum arbitrium, consistens secundùm fidem in immunitate ab omni necessitate simplici antecedente intrinseca. Item Prosper manifeste supponit illam Gratiam non impedire libertatem ab omni necessitate: nam non quæritur explicatio modi, quo una res non impedit aliam, nisi supponatur utraque simul existere.

Itaque S. Prosper rogat S. Augustinum, ut explicet quomodò Gratia interna omnem actum conducentem ad salutem præveniens non impediat libertatem indifferentiæ activæ, 1. quia Semipelagiani dicebant cum Pelagianis hanc prævenientem Gratiam, cujus necessitatem & gratuitatem astruebant Catholici, tollere

liber-

libertatem indifferentiæ; & hoc dicebant, quia constituebant libertatem arbitrii in naturali facultate volendi vel non volendi, ex se completa independenter ab auxilio interno, quod non penderet à voluntate nostra ut adesset. Nam, ut Prosper, in eadem Epistola testatur, contendebant, *quantum quisque ad malum, tantum habere facultatis ad bonum, parique momento animum se vel ad vitia vel ad virtutes movere, quem bona appetentem Gratia Dei foveat.* Volebant igitur Semipelagiani hominem habere tantam facultatem naturalem nempe radicalem ad bonum, quantam habet ad malum; quatenus tam potest ex solis naturalibus arbitrii viribus elicere aliquos actus, nempe fidem, desiderium salutis & orationem, per quos obtinet Gratiam necessariam ad alios actus salutares exercendos: & sic secundùm illos homo tam poterat ex solis naturæ viribus bonum sive immediate sive mediatè agere quàm malum. 2. Quia S. Augustinus & Catholici asserebant hanc Gratiam præoperantem & cooperantem producere infallibiter effectum ad quem datur, & tamen à solo Dei beneplacito pendere. At non facilé intelligitur quomodo servetur liberum arbitrium cum auxilio interno præveni-

enti

ente & omninò gratuito, quòd infallibiliter efficit id ad quod datur.

Dices. Per se patet Gratiam repudiabilem non tollere liberum arbitrium.

Resp. Hoc etiam non quærebat Prosper; sed quærebat quomodo Gratia præoperans & cooperans cum sua efficacia & infallibilitate posset esse ex se repudiabilis, sicque non impedire liberum arbitrium. Quamvis enim ipse sciret & imponeret cum Catholicis Gratiam quantumvis efficacem esse ex se repudiabilem, tamen perspiciebat difficultatem in concilianda Gratiæ efficacia & infallibilitate cum ejusdem repudiabilitate intrinseca: & ideo explicationem postulabat.

Obj. 2. Contentio Catholicos inter & Semipelagianos erat de fide, utrum esset donum Dei. Sed fides non est donum Dei, nisi sit ex Gratia determinante ac necessitante. Ergo.

Resp. Nego min. Nam fides hoc ipso est donum Dei, quód Deus gratuito donat Gratiam infallibiliter connexam cum actu fidei, licet sit de se repudiabilis: tunc enim fides est à Deo donante causam principalem & superiorem actus fidei, sive est à Deo gratuito illum efficiente per Gratiam ut causam principalem, & per voluntatem ut Gratia motam. Enim verò

S.

S. Augustinus ante Episcopatum ideo præcisè negabat fidem esse donum De, quia putab t hominem ad eam non indigere nisi prædicatione Evangelii, qua facta, ex solis naturæ viribus credere posset sine Gratia interna præveniente & cooperante, ut ipse fatetur, l. de prædestin. Sanct. c. 3. Ergo qui fatetur fidem esse ex auxilio Gratiæ interioris prævenientis & cooperantis, gratis datæ, hoc ipso fatetur fidem esse donum Dei.

Nota. Omnis actus salutaris est donum Dei, sed non purum, seu non est donum Dei tantùm: nam sic est donum Dei, ut sit etiam nostrum meritum, ut definit Concilium Tridentinum; quia nempe Deus gratuitò efficit actum salutarem per voluntatem humanam præventam & adjutam Gratia, non necessitatam, sed agentem ex propria ac libera determinatione. At Gratia præveniens est purum Dei donum; quia Deus Gratiam voluntati donat, hanc irresistibiliter applicando & determinando, seu necessitando ad productionem motus indeliberati amoris vel desiderii, vel timoris aut fugæ; & sic voluntas non liberè cooperatur productioni Gratiæ.

Ex dictis satis patet controversiam Catholicos inter & Pelagianos ac Semi-

pelagi-

pelagianos non fuisse de Gratia adjuvante prædeterminante. Nam, ut ostensum est, fuit præcise de Gratiæ prævenientis, & immediatè afficientis voluntatem, & gratuitæ necessitate ad quemlibet actum conducentem ad salutem. Præterea Summi Pontifices & Concilia nullam faciunt mentionem Gratiæ prædeterminantis; sed præcisè definiunt necessitatem Gratiæ interioris prævenientis & gratuitæ.

ARTICULUS VI.

De erroribus Jansenii Iprensis, & ejus Sectatorum.

JAnsenius, natione Hollandus, genere obscurus, in Academia Lovaniensi cathedram professoris Scripturæ sacræ adeptus, librum adversus Reges Galliæ, qui *Mars Gallicus* inscribitur, edidit, & paulò post ab Hispanis Episcopatum Iprensem accepit; sed post triennium Episcopatus peste solus interemptus est anno 1638. postquam ultimam apposuisset manum operi quod inscripsit, *Augustinus*. Hoc infaustum opus judicio quidem Sedis Apostolicæ subjecit; sed amicis suis commisit ut illud in lucem ederent: quod magno studio præstiterunt. Anno sequenti nempe 1641. ab Urbano VIII. cui dicatum erat, post maturum examen

damnatum est constitutione, qua Pii V. & Gregorii XIII. Bullas contra Michaëlis Baji 79. propositiones editas confirmat. Sed quia non obstante Pontificia damnatione Jansenianæ doctrinæ virus latiùs in dies serpebat, octoginta quinque Galliarum Episcopi specialiori Jansenianæ doctrinæ damnatione opus esse censuerunt. Quare collectas ex Jansenii doctina quinque propositiones ad Innocentium X. communi consilio miserunt, obtestantes ut has propositiones, de quibus erat disceptatio periculosior & ardentior contentio, expenderet, ac certam de unaquaque ferret sententiam.

Innocentius his litteris acceptis propositiones & librum ex quo excerptæ sunt, per biennium in congregatione ad hoc speciatim instituta examinari curavit tanta diligentia, ut major desiderari non posset, quemadmodum testatur in sua Bulla Alexander VII. tunc Cardinalis Inquisitor: deinde Constitutionem edidit; qua quinque propositiones sigillatim ut hæreticas damnat, affixa unicuique speciali censura quæ quidem Constitutio ab universali Ecclesia recepta est. Denique anno sequenti dedit Breve, quo non solum Jansenii

liber damnatur, ſed in ſuper prohibentur omnes libri, qui in Janſenianæ doctrinæ defenſiionem ſive ante ſive poſt ejus damnationem ſcripti ſunt.

Janſeniſtæ, qui prius quinque propoſitiones ut Janſenii doctrinam propugnaverant, (ut patet ex libro cui titulus *ècrit à trois colomnes*, & aliis prioribus eorum ſcriptis) contenderunt eas in doctrina Janſenii non contineri, nec in ſenſu ejus doctrinæ damnatas eſſe, ſolùm in ſenſu Calvini. Quare Alexander VII. Innocentii ſucceſſor anno 1656. novam Bullam promulgavit à tota Eccleſiâ Catholica receptam, qua declarat quinque propoſitiones ex Janſenii libro, cui titulus *Auguſtinus*, excerptas eſſe & damnatas, atque à ſe damnari in ſenſu à Janſenio intento. Poſtea idem Pontifex, poſtulantibus plurimis Galliarum Epiſcopis & Ludovico Magno, alteram Conſtitutionem edidit, in qua ad præcludenda Novatorum effugia præſcribit formulam fidei ab omnibus Clericis ſubſcribendam, in qua ſincero animo damnare ſe jurant quinque propoſitiones in ſenſu à Janſenio intento, id eſt, in ſenſu doctrinæ libri Janſenii.

His

His Constitutionibus Apostolicis ab Ecclesia Catholica receptis finita erat causa, sed finitus non fuit error. Jansenistæ, qui etsi retenta hæresi sua multiplici, Catholici videri volunt, non ausi sunt apertè Ecclesiæ Constitutiones repudiare; sed ut eas quoquo modo eluderent, distinctionem quæstionis juris & facti excogitarunt; duo scilicet in fidei formulâ proposita distinguenda esse dixerunt, jus seu doctrinam in quinque propositionibus damnatam, factum seu hujus doctrinæ attributionem libro Jansenii. Quoad jus declararunt se ex animo & ex interiore assensu damnare in quinque propositionibus sensum omnem erroneum quem Ecclesia damnare voluisset: quantum verò ad factum, negarunt se posse aut saltem debere ex animo assentiri Ecclesiæ attributionem doctrinæ libro Jansenii definienti, eò quòd velint Ecclesiam errare posse circa quæstiones facti etiam dogmatici, nec talia ejus judicia digna esse nisi obsequioso silentio. Nihilominus ut beneficia vel Ordines accipiant, jurant se sincero animo damnare ut hæreticas quinque propositiones in sensu Jansenii; sicque perjurii crimen non formidant, qui se vel ipsum

restrictionis nomen exhorrere profitentur, & severiorem doctrinam moralem in omnibus sequi se jactitant, sed falso; hæresis nempe Janseniana continet principium omnis morum corruptelæ, docens hominem quoties peccat, necessitari insuperabiliter per concupiscentiam ad peccandum: nam hoc ipso justam & legitimam excusationem omnibus peccatis ac criminibus præbet: quænam enim major ac justior criminum excusatio potest esse, quàm insuperabilis necessitas peccandi?

Anno 1669. Clemens IX. in Rescripto ad quatuor Galliæ Episcopos, qui simplicem Formulario subscriptionem primùm detrectaverant, deinde se veram obedientiam Constitutionibus Apostolicis exhibuisse asseruerant, declarat se Prædecessorum suorum Constitutionibus firmissimè inhærere, nullamque circa factum Jansenii exceptionem aut restrictionem admissurum.

Anno 1694. Innocentius XII. Breve edidit, quo vetat ne quid addatur vel detrahatur Formulario Alexandri VII. & anno 1696. altero diplomate declarat se confirmasse & iterum confirmare ejusdem Alexandri Constitutionem & Formularium.

Anno

Anno 1705. ex occaſione deciſionis famoſi conſcientiæ caſus à quadraginta Doctoribus Sorbonicis obſignatæ, qua declarabant Sacramentalem abſolutionem negandam non eſſe viro Eccleſiaſtico, qui ſubſcribendo Formulario, & quinque propoſitiones damnando, interius tamen negat illas Janſenii libro contineri quoad ſenſum, & quantum ad quæſtionem facti ſeu attributionem doctrinæ damnatæ in libro Janſenii, putat religioſum ſilentium ſufficere: ex occaſione, inquam hujus deciſionis ab Epiſcopis & Summo Pontifice damnatæ prodiit Conſtitutio Clementis XI. quæ incipit: *Vineam Domini Sabaoth*, in qua Conſtitutiones ſupradictæ Innocentii & Alexandri confirmantur, ſilentium obſequioſum pro quæſtione facti rejicitur ut inſufficiens, internaque, vera ac ſincera factis perſuaſio ac confeſſio exigitur his verbis: *ac inſuper ut quævis in poſterum erroris occaſio penitus præſcindatur, atque omnes Eccleſiæ Catholicæ filii Eccleſiam ipſam audire, non tacendo ſolum, (nam & impii in tenebris conticeſcunt) ſed & interius obſequendo, quæ vera eſt orthodoxi obedientia condiſcant; hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, obedientiæ, quæ præinſer-*

tis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri; sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Jansenîani libri sensum, quem illarum verba præ se ferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum, non ore solùm, sed & corde rejici, ac damnari debere; nec alia mente, animo, aut credulitate supradictæ formulæ subscribi licitè posse; ita ut qui secùs, aut contra, quoad hæc omnia & singula, senserint, tenuerint, prædicaverint verbo vel scripto docuerint, aut asseruerint, tanquam præfatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores, omnibus & singulis illarum censuris, & pœnis omnino subjaceant, eadem authoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus, & ordinamus.

Per hanc Constitutionem, quam perinde ac præcedentes Catholica Ecclesia recepit & probavit, solemniterque receperunt Galliæ Episcopi, ab ultimo suo inani præsidio dejecti sunt Jansenistæ.

Verùm cùm tot fulminibus percussam Jansenii doctrinam tuendam pertinacius suscepisset Paschasius Quesnellus, idem Clemens XI. postrema sua Constitutione ab Ecclesia recepta, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, Quesnelli annotationes in

in novum Teſtamentum damnavit tanquam innovantes jam toties proſcriptam Janſenianam hæreſim, novos alios errores inducentes, atque 101. propoſitiones ex illis annotationibus excerptas damnavit.

His præmiſſis jam famoſæ illæ quinque propoſitiones ex Janſenii libro excerptæ, & in eo quoad ſenſum contentæ, omnemque ejuſdem libri doctrinam compendio quodam continentes, exponendæ ſunt cum propria cujuſque cenſura, & ſimul veritates Catholicæ ſingulis oppoſitæ.

Prima propoſitio: *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

Cenſura; hæc propoſitio *temeraria, impia, blaſphema, anathemate damnata, & hæretica declaratur, & uti talis damnatur.*

Senſus in quo damnata eſt: aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia impoſſibilitate phyſica & antecedente, ſed variabili & relativa, ſeu relate ad tales juſtos tali motu concupiſcentiæ affectos. Deeſt

quo-

quoque illis gratia, qua verè in his circumstantiis possibilia fiant.

Hæc propositio iisdem terminis continetur, & fusè probatur, l. 3. de gratia Christi, c. 13. reliquæ vero quatuor non exprimuntur iisdem verbis in opere Jansenii, sed continentur quoad sensum, & doctrinam in illo traditam.

Veritas Catholica opposita. Nulla Dei præcepta quando urget eorum observatio, impossibilia sunt hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires; nec deest eis gratia verè sufficiens, qua complete & expeditè possibilia fiant in iis circumstantiis in quibus versantur.

Secunda propositio: *Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

Censura. Hæc propositio *hæretica declaratur, & uti talis damnatur.* Sensus in quo damnata est. In statu naturæ lapsæ gratia interior semper efficit in nobis omne bonum quod efficere potest in iis circumstantiis in quibus datur, & nunquam frustratur effectu ad quem hic & nunc datur. Continetur autem quoad sensum & probatur, lib. 2. de gratia Christi præsertim, c. 15.

Veri-

Veritas Catholicc ei opposita. In statu naturœ lapsœ homines resistunt non raró gratiœ interiori, eamque privant effectu quem habere potest in iis circumstantiis in quibus datur.

Tertia propositio: *Ad merendum & demerendum in statu naruræ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

Censura. Hæc propositio *hæretica declaratur, & uti talis damnatur.*

Sensus in quo damnata est. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non reqiritur libertas à necessitate physica, voluntaria & mutabili: sed: sufficit libertas à coactione, & à necessitate naturali, absoluta & immutabili.

Hæc propositio in hoc sensu traditur & continetur in libris 6. 7. & 8. de gratia Christi salvatoris, vel in ipsis titulis

Veritas Catholica. Ad merendum & demerendum etiem in statu naturæ lapsæ requiritut in homine libertas ab omni necessitate simplici, physica, etiam voluntaria, mutabili seu variabili, modò circa bonum, modò circa malum, & transeunte.

Quarta propositio: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem*

tatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Censura. Hæc propositio. *falsa & hæretica declaratur, & uti talis damnatur.*

Sensus in quo damnata est ut hæretica. Gratia præveniens necessaria ad singulos actus salutares talis est, ut homo lapsus non habeat potentiam completam & expeditam faciendi & non faciendi bonum ad quod movet. In hoc sensu continetur & probatur in libris Jansenii de hæresi Pelagiana, & in parallelo erroris Massiliensium & quorumdam recentiorum.

Veritas Catholica ei opposita. Gratia præveniens talis est, ut homo lapsus habeat potentiam completam & expeditam ei consentiendi vel non consentiendi.

Quinta propositio: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Censura. Hæc propositio, *falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, & hæretica declaratur, & uti talis damnatur.*

Sensus

Sensus in quo damnata est. Semipelagianum est affirmare Christum mortuum esse pro salute æterna omnium omnino hominum, & omnibus promeruisse gratias sufficientes quibus salutem æternam consequi possint.

Hæc propositio quoad sensum plurimis in locis Janseniani operis reperitur, præsertim in duobus postremis capitibus libri tertii de gratia Christi.

Veritas Catholica ei opposita. Est fidei dogma Christum mortuum esse pro salute æterna omnium omnino fidelium; & pium ac doctrinæ catholicæ consentaneum est dicere, eum mortuum esse pro salute æterna omnium omnino hominum, quamvis non æqualiter, nec ex æquali affectu.

Porro sensum illarum quinque propositionum damnatarum à nobis traditum, esse verum sensum in quo damnatæ sunt, patet ex duabus regulis, quas adhibet Eminent. Cardin. de Bissy, in sua Institutione pastorali, & quas ipsi Summi Pontifices assignarunt ad cognoscendum sensum in quinque propositionibus damnatum.

Prima regula est. Quinque propositiones damnatæ sunt in sensu à Jansenio intento

intento in suo opere, id est, quem Jansenius tradit in suo opere damnato, qui inscribitur *Augustinus*. Nam ita declaravit Alexander VII. Constitutione ab Ecclesia recepta. *Secunda est*. Sensus Jansenii damnatus, est ipsemet sensus obvius quinque propositionum. Nan Innocentius XII. in suo Brevi ad Episcopos Belgii declaravit eas damnatas esse in sensu obvio quem verba quibus exprimuntur, præ se ferunt.

Ex his liquet Jansenistas, dum nolunt quinque Jansenianas propositiones damnare in eo sensu in quo ab Ecclesia damnatæ sunt, dissentire ab Ecclasia, & erroribus ab ea damnatis pertinaciter adhærere, ideoque verè hæreticos esse, & omnibus hæreticorum pœnis subjici.



CA-

CAPUT II.

De Gratia efficaci.

Utrùm Gratia efficax consistat in auxilio excitante voluntatem ad consensum physicè determinante, seu necessitante?

§. I.

Notanda.

I. GRatia efficax est ea, quacum voluntas potest operari, & infallibiliter operatura est, si detur. Sive est ea, quæ est infallibiliter connexa cum effectu ad quem datur. Hanc existere fide constat, nam, ad Phil. c. 2. dicitur: *Deus est qui operatur in vobis & perficere, pro bona voluntate.* Et Ezech. c. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Ubi Deus promittit Gratiam, quæ operatura est observationem præceptorum, & quidem infallibiliter, cùm promissio Dei sit infallibilis. Præterea omnis actus salutaris supponit Gratiam efficacem, sine quo nullus fit.

II. Jansenius multis locis docet Gratiam

tiam efficacem medicinalem consistere in gratia excitante, quæ voluntatem ad consensum physicè determinat ac prædeterminat sua suavitate, quæ sit intensior delectatione concupiscentiæ. Nam contendit hominem in hoc statu naturæ lapsæ semper necessitari ad bonum per delectationem indeliberatā gratiæ, intensiorē delectatione seu motu concupiscentiæ, & ad malum per delectationem indeliberatā concupiscentiæ, intensiorem delectatione seu motu Gratiæ. Patet ex multis locis, &præsertim ex l. 8. de Gratia Christi, c. 2. ubi ait: *Delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium relativa est. Tunc enim est victrix quando alteram superat. Quod si contingat, alteram, ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet quod volendum est.* Et, c. 3. *Delectatio facit ut velis, & sine illa velle non possis . . . Facit denique ut necesse sit animum illud sequi, &c.* Et, lib. 4. c. 6. *Ex his jam perspicuè intelligitur tantoperè necessarium esse istam delectationis divinæ Gratiam . . . ut nisi major fuerit quam terrena, fieri non possit quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam sanè delectatione minore superabitur.* Et, c. 7. *De-*

lecta

lectationem omnis operationis secuturæ mensuram statuit (Augustinus) *clarissimè & absolutissimè, pronuncians: quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est: nimirum quia id quod amplius nos delectat, etiam ampliùs velimus ac diligamus necesse est: tantò enim quidque vehementius volumus, quantò delectamur ardentius: quod autem magis volumus ac diligimus, secundum id operemur necesse est.* Et, c. 9. *Conflictus ille delectationum sopiri non potest, nisi alteram delectando superaverit, & eo totum animæ pondus vergat. Quod enim amplius delectat secundùm id operemur necesse est.* Item, lib. 7. *Delectatio* (intensior) *est vinculum quo liberum arbitrium in justitia vel peccato ita ligatur, ut actus oppositus sit extra ejus potestatem.*

III. Lutherus & Calvinus jam ante Jansenium constituerunt gratiam efficacem in excitante gratia voluntatem ad consensum physicè determinante seu necessitante, nec differunt à Jansenio, nisi quod illi asserant non remanere liberum arbitrium, Jansenius verò contendat remanere. Verùm inter se non diffident nisi circa voces, & nullatenus quoad rem: Nam ideo Lutherus & Calvinus negant

ſub gratia efficaci remanere liberum arbitrium, quia per illud intelligunt indifferentiam activam, ſeu immunitatem ab omni neceſſitate phyſica, intrinſeca, antecedente; Janſenius vero aſſerat remanere liberum arbitrium, quia per illud intelligit ſolam libertatem à coactione. Nam, l. 7. de gratia Chriſti, c. 3. poſtquam docuit illud nobis liberum eſſe libertate arbitrii, quod eſt in noſtra poteſtate, & illud eſſe in noſtra poteſtate, quod fit cum volumus, etiamſi neceſſario velimus, ſic concludit: *Quæ ſi vera ſunt juxta ſanctiſſimi Doctoris principium veriſſima ſunt, non poterit amplius de ejus mente dubitari; quia eum ſentire & conſtanter docere diximus, libertati arbitrii ſolam neceſſitatem coactionis, ſeu quæ etſi nolumus, efficit id quod poteſt, eſſe contrariam, omnemque actum voluntarium ſeu ſpontaneum hoc ipſo eſſe liberum. Hoc enim ipſum quod voluntatem ſponte velle ſeu conſentire facit, hac eam, ut vidimus etiam liberam facit libertate arbitrii quam ſupra expreſſit.*

IV. Calvinus, l. 2. inſtitut. c. 2. aſſerit juxta Auguſtinum velle hominis formari à Gratia, *impreſſo delectationis affectu.* Et, l. 3. de liber. ſic ait: *Quid aliud*

aliud ſonant Auguſtini verba? Libera, inquit, eſt hominis voluntas, ſed ad malum, cur? Quia delectatione & proprio appetitu movetur ad malum.

V. Cum Janſenius nullam admittat gratiam mere ſufficientem in ſenſu Catholicorum, ſed velit omnem gratiam naturæ lapſæ eſſe efficacem, quatenus habet omnem effectum quem habere poteſt in iis circumſtantiis in quibus datur, & ad quem datur à Deo: ideó duplicem diſtinguit gratiam efficacem, nempe perfectam ſeu magnam, & imperfectam ſeu parvam. Perfecta eſt ea, quæ à Deo datur ad velle perfectum, id eſt, velle efficaciter bonum, & illud agere. Imperfecta eſt ea, quæ datur à Deo ad velle imperfectum, id eſt, ad quaſdam velleitates cum advertentia rationis eliciendas, quibus voluntas nec vult efficaciter bonum, nec illud agit, nec velle efficaciter poteſt. Utraque voluntatem neceſſitat ad actum ad quem datur, & ſemper habet totum effectum ad quem datur. Perfecta eſt intenſior delectatione terrena ſeu motu concupiſcentiæ; & dicitur delectatio victrix, quia terrenam concupiſcentiæ delectationem intenſione ſuperat, & facit voluntatem velle

efficaciter bonum & illud agere. Imperfecta verò est minus intensa quam delectatio concupiscentiæ, nec dat posse agere bonum, sed tantùm habere aliquam velleitatem & complacentiam inefficacem boni. De hac, l. 2. de gratia Christi, c. 27. sic loquitur: *Considerandum est multiplices esse divinæ gratiæ effectus, quemadmodum & voluntatis. Est enim velle perfectum, quod Augustinus posse vocat; est & imperfectum, quod velleitatem appellare solent: & hoc ipsum diversos gradus habet, donec ad ipsam primam tenuissimamque boni complacentiam veniatur ... hæc igitur gratia quamvis nullo modo sufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia deligat, ut superet, ut oret, ut credat: ad hoc tamen facit aliquid, ut istarum vel alterius cujusdam cœlestis rei liberas quasdam non voluntates, sed velleitates vel complacentias excitet.*

VI. Jansenii Discipuli non audent apertè dicere gratiam excitantem efficacem necessitare voluntatem ad consensum; sed dicunt physicè determinare ac prædeterminare ad consensum, quod est re verâ necessitare; nec aliter locutus est Jansenius, quem tamen constat gratiam physice necessitantem admisisse.

§. II.

§. II.

Dico Gratia efficax non consistit in gratia excitante, seu delectatione victrice, voluntatem ad consensum necessitante. Est de Fide.

Prob. 1. Ex Script. Eccli. c. 31. *Beatus ... qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Ergo justus, qui servat mandata cum gratia efficaci, sic ea servat, ut possit ea non servare. Ergo gratia efficax, per quam servantur mandata, relinquit libertatem à necessitate: ergo non necessitat.

Prob. 2. Ex Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 5. ubi declarat, quòd adulti qui convertuntur, *per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest, &c.* Et, can. 4. sic definit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum*

& excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit, &c Anathema sit. Ergo ex Conc. Trid. Gratia, qua homo se disponit ad justificationem per actus scilicet Fidei, Spei, Pœnitentiæ, &c. Ideoque gratia efficax talis est, ut homo possit eam abjicere seu repudiate, possit ei dissentire si velit. Atqui gratia quæ potest abjici seu repudiari, cui voluntas potest dissentire, est gratia intrinsecè repudiabilis, non necessitans. Ergo ex Conc. Trid. Gratia efficax est ex se repudiabilis, non necessitans.

Prob. 3. Ex hac tertia Jansenii propositione ab Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente XI. atque à tota Ecclesia Catholica, quæ eorum decreta recepit, damnata ut hæretica: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Ergo contradictoria est de Fide, nempe ad merendum & demerendum requiri libertatem à necessitate simplici, nec sufficere libertatem à coactione. Ergo est de Fide, justum, cum meretur, non necessitari ad bonum

per

per gratiam efficacem, ſine qua non meretur. Ergo cum gratia efficaci remanet libertas ab omni neceſſitate ſimplici, & conſequenter gratia efficax non neceſſitat.

Prob. 4. Ex S. Auguſtino, l. de natura & gratia, c. 65. ubi poſtquam hæc verba S. Hieronymi à Pelagio objecta retulit: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin ubi neceſſitas nec corona eſt*: Sic reſpondit: *Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat? Quis aliter conditam humanam neget eſſe naturam? Sed in rectè faciendo ideò nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia libertas eſt charitatis.* Ergo S. Auguſtinus agnoſcit, & toto corde ſuſcipit hominem neque ad malum per terrenam delectationem concupiſcentiæ, neque ad bonum per cœleſtem delectationem gratiæ neceſſitari, neceſſitate ſcilicet ſimplici & voluntaria ut intelligebat Pelagius, cui in hoc conſentit. Sed unum tantum addit, nempe nos in bono ſalutari agendo non eſſe liberos ſine interiori gratia inſpirationis, quod negabat Pelagius; nam libertas ad bonum ſalutare agendum, eſt completa facultas illud agendi & non agendi:

di: facultas autem illud agendi non eſt ſine gratia inſpirationis.

Item, l. de ſpiritu & litera, c. 34. ait: *Profectò & ipſum credere velle Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Quod ſane conſenſum & diſſenſum liberum voluntatis ſignificat: nam volitionem & nolitionem eſſe actus voluntatis per ſe patet, & nemo unquam negavit aut negare potuit, ineptuſque ac negatorius eſſet hic ſenſus.

Et, l. 2. contra Petilian. c. 84. *Si tibi proponam quæſtionem quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio, fortaſſis eam difficilè ſoluturus es. Quomodo enim attrahit, ſi dimittit, ut quis quid voluerit eligat: & tamen utrumque verum eſt. Sed intellectu hoc penetrare pauci valent. Sicut ergo fieri poteſt ut quos in libero dimiſit arbitrio, attrahat tamen ad Filium Pater: ſic fieri poteſt, ut ea quæ legum coercitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium.* Ergo ex S. Auguſtino Deus Pater attrahendo efficaciter homines ad Filium, relinquit eis liberum arbitrium intellectum in eo ſenſu, in quo intel-

intelligebat Petilianus, nempe pro facultate expedita eligendi quid voluerint; nec magis gratia efficax aufert liberum arbitrium quam leges comminatoriæ, Ergo, &c.

In quo nam gratia efficax consistere dicenda sit, pertinet ad Theologiam Scholasticam.

CAPUT III.

De Gratia sufficiente.

Utrùm detur Gratia sufficiens.

§. I.

Nota. 1. AGitur hic de gratia sufficiente, prout distingutur ab efficaci; ideoque de gratia mere sufficiente, quæ est auxilium supernaturale, præbens voluntati completam & expeditam agendi bonum salutare potentiam quod tamen effectu, ad quem datur, caret ex culpa voluntatis nolentis ei consentire. Sive gratia sufficiens est secundùm omnes Catholicos gratia excitans dans completam bonum salutare agendi, vel malum vitandi potentiam, quæ caret effectu ad quem datur, quia voluntas non vult ei consentire.

Nota.

Notá. 2. Gratia sufficiens, alia est proximè sufficiens, quæ nempè dat posse proximè aliquid, & alia remote sufficiens quæ nempé dat posse proximé aliquid quo obtineatur auxilium dans posse proximè agere aliud; talis est gratia orandi. Unde gratia sufficiens generatim est ea, quæ dat vel posse proximè agere id ad quod datur, vel certè posse proximè aliquid, quo obtineatur auxilium dans posse illud proximè agere: quæ tamen gratia effectu careat ex resistentia voluntatis creatæ.

Nota. 3. Jansenius, l. 3. de gratia Christi rejicit omnem gratiam sufficientem pro statu naturæ lapsæ; vultque omnem gratiam Christi esse efficacem, & habere omnem effectum ad quem datur, & quem habere potest in iis circumstantiis in quibus datur, nempè relatè ad motus concupiscentiæ. Sic enim, l. 3. de gratia Christi, c. 1. ait: *Nullum igitur jam jam dari hominibus lapsis adjutorium sufficiens, quin sit simul efficax, in Augustini principiis exploratum est.* Imò ibidem dicit, Gratiam sufficientem esse Pelagianum adjutorium: Dat *enim*, inquit, *homini posse si velit, non velle quod possit, ac proinde est*

Pela-

Pelagianum adjutorium, non Christi Salvatoris. Duplicem autem gratiam efficacem admittit, ut supra dictum est, unam parvam seu imperfectam, alteram magnam ac perfectam. Gratia efficax parva ac imperfecta est ea, quæ boni complacentiam vel desiderium inefficax inspirat, propter quod solùm datur à Deo; & in iisdem circumstantiis in quibus datur, non potest plenum effectum nec alium habere, propter majorem concupiscentiæ delectationem; ac proinde propriè ei non resistitur. Nam propriè loquendo resistere gratiæ est eam frustrare effectu, quem habere potest in iis circumstantiis, in quibus datur. Gratia vero efficax magna ac perfecta est ea, quæ producit efficacem volitionem & operationem boni. Hæ juxta ipsum differunt tantum ratione majoris vel minoris effectus.

Nota. 4. In doctrina Jansenii & ejus discipulorum duplex distinguitur potentia ad bonum, quam gratia habet & dat, nempe absoluta, & relativa. Potentia absoluta ad bonum est ea, quam gratia habet, si gratia secundùm se duntaxat spectetur, præcisis subjecto cui datur circumstantiis & concupiscentia. Relati-

va

va est ea, quam gratia habet & dat relatè ad majorem vel minorem delectationem terenam concupiscentiæ subjecti cui inest. Hac distinctione fucum faciunt Jansenistæ Catholicis objicientibus justum cum gratia parva efficaci non habere veram potentiam servandi præceptum; siquidem secundum doctrinam Jansenianam illa gratia non potest alium effectu habere in illo justo, nisi ut excitet velleitatem seu desiderium inefficax. Nam respondent in illo justo esse perfectam, completam & expeditam potentiam ad servandam præceptum, & superandam tentationem: sed hoc intelligunt de potentia absolutè sumpta, & præcisis subjecti circumstantiis, non verò relatè ad circumstantiam in qua versatur ille justus, nempe ad motum concupiscentiæ intensiorem: in qua circumstantia necessitatur ad violandum præceptum per majorem illam terrenam delectationem. Unde perinde est ac si dicerent: si hic homo non haberet tam vehementem motum concupiscentiæ, gratia deret ei sufficientem potentiam volendi & agendi bonum, qua caret in eis circumstantiis in quibus versatur, & tenetur servare præceptum. Ac proinde justus

ſtus qui præceptum violat, non habet in iis circumſtantiis, in quibus violat & tenetur ſervare præceptum, non habet, inquam, veram potentiam illud ſervandi: ſed habet tantum potentiam abſtractam, & inutilem pro praxi, quippe quæ ad exercitium boni operis nil conferre poteſt; ſiquidem delectatio intenſior nunquam à delectatione oppoſita minore ſuperari poteſt, & voluntas ſemper neceſſitatur à majore delectatione ſecundùm principium fundamentale Janſenianæ doctrinæ.

Hanc porro gratiam efficacem parvam, quæ conſiſtit in gratia excitante minus intenſa quàm ſit concupiſcentiæ motus vocant Janſeniſtæ gratiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtico. Sed manifeſte abutuntur terminis: nam cum illa gratia parva impoſſibile eſt, ut juſtus ſervet præceptum in iis circumſtantiis in quibus urget; & illa gratia eſt tantum ſufficiens pro aliis circumſtantiis, in quibus nunc non verſatur ille juſtus, nempe pro caſu, in quo concupiſcentiæ motus abeſſet, vel minus intenſus foret quam gratia.

Nota. 5. Ex dictis facile intelligitur, quo ſenſu Janſeniſtæ hæreſim ſuam pertinaciter retinentes, dicunt 1. Mandata

data non esse justis impossibilia, nempe impossibilitate absoluta tantùm, seu præcisa circumstantia terrenæ delectationis, intensioris, licèt sint impossibilia impossibilitate relativa seu relate ad concupiscentiæ motum intensiorem: sive mandata non esse impossibilia justo illa violanti, si justus ille careret tentatione & delectatione terrena majore, licet sint illi impossibilia impossibilitate relativa, & pro tempore quo violantur. 2. Gratiæ interiori resisti, nempe quoad effectum ulteriorem quam habere potest in aliquo casu, non autem quem habere potest in iisdem circumstantiis in quibus datur. 3. Ad libertatem requiri immunitatem à necessitate absoluta scilicet seu absolute sumpta, non autem relativa. 4. Humanam voluntatem posse gratiæ resistere vel obtemperare, nempe si gratia absolute seu secundùm se præcisè spectetur, non verò si relativè, & quatenus est intensior motu concupiscentiæ. 5. Christum mortuum esse etiam pro reprobis, quatenus meruit & confert multis reprobis quasdam gratias, quæ absolutè & secundùm se spectatæ possnnt eos ad salutem perducere; quamvis non possint si spectentur relatè

ad

ad præſentes illorum diſpoſitiones & tentationes. Atque ita unius vocis æquivocatione hæreſim ſuam occultare putant & irrident judicium Eccleſiæ, quæ eorum doctrinam damnavit.

§. II.

Dico. In hoc ſtatu naturæ lapſæ & per Chriſtum reparatæ, datur gratia verè ac merè ſufficiens, quæ ſcilicet effectu ad quem datur, caret ex culpa voluntatis, & ad quem ponendum dat veram ac completam potentiam, etiam relative ad præſentem difficultatem, tentationem, & concupiſcentiæ motum. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Script. Prov. c. 2. *vocavi & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit.* Quæ graviſſima objurgatio eſſet iniqua, ſi ii qui objurgantur, non habuiſſent gratiam interiorem verè ſufficientem, ſine qua Deo vocanti obſequi non poterant, & quæ effectu ad quem data eſt, caruit ex culpa voluntatis.

Iſai.

Isai. c. 5. Sic Deus Israelitis loquitur: *quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Certè si Israëlitæ in iis circumstantiis in quibus versabantur, non habuerunt gratias verè sufficientes ad exercenda bona opera præscripta, Deus non potuit vere ac seriò dicere; quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, nempe ut fructus bonorum operum ferret; nec potuit expectare, ut opera salutaria agerent, cùm hæc sine gratia verè sufficienti impossibilia sint.

Act. c. 7. Stephanus plenus Spiritu Sancto sic Judæos increpat: *vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

Math. c. 23. *Jerusalem, Jerusalem .... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Ergo Judæi in statu in quo erant, habuerunt gratiam internam verè sufficientem ad credendum Christo, cui tamen credere noluerunt: alioqui hæc Christi exclamatio esset vana ac illusoria, & hæc verba (*quoties volui, & noluisti*) essent falsa.

Prob. 2. Ex Conc. Tridentino, sess. 6. cap. 11. ubi ait: *nemo temeraria illa, &* *à Pa-*

à Patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet) *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis, &c.* Ergo ex Concilio omnes justi habent gratiam, per quam verè possint servare omnia Dei præcepta quando urgent; & tamen non omnes ea servant, nam multi justi peccant mortaliter. Ergo datur gratia verè sufficiens ad servanda mandata divina, quæ tamen non est efficax. Idem constat ex Conc. Aurausicano II. cap. 25.

Prob. 3. Ex his duabus Jansenii propositionibus ab Ecclesia damnatis ut hæreticis in sensu doctrinæ Jansenii. *Prima: aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Ergo contradictoria est de fide, nempe hæc: nulla Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus sunt impossibilia; nec deest illis Gratia, qua possibilia fiant, in iis scilicet circumstantiis in quibus versantur, & tenentur ea servare. Ergo justi omnes habent gratiam verè sufficientem ad servanda

da omnia præcepta; & tamen non omnes justi servant omnia præcepta, sed aliqui ea violant. Ergo datur in aliquibus justis gratia verè sufficiens ad servanda mandata Dei, quæ tamen caret effectu ad quem datur, & quem habere potest. Ergo datur in statu naturæ lapsæ gratia verè ac merè sufficiens. Quæ conclusio secundùm omnes Catholicos est de fide, nec est merè Theologica, nam elicitur per simplicem explicationem.

Secunda: interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Quæ propositio in libro Jansenii hunc habet sensum: gratia omnis hominibus lapsis data habet omnem effectum propter quem datur à Deo, & quem habere potest in iis circumstantiis in quibus datur. Ergo est de fide, dari aliquam gratiam, quæ ex culpa voluntatis non habet effectum ad quem est sufficiens in iis circumstantiis, in quibus ei resistitur: ideoque est de fide dari gratiam verè ac merè sufficientem.

Prob. 4. Ex S. Augustino, qui passim hanc veritatem tradit vel supponit. Ex multis textibus quatuor eligo. 1. lib. 83. Quæstionum, quæst. 68. ait: *ad illam cœnam nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt,*

neque

neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocati. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt. Nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi: quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii cùm vocatus venire negligit. Hìc S. Doctor loquitur de vocatione non solùm externa, sed etiam & maximè interna: nam loquitur de vocatione, quæ veniendi voluntatem efficit in iis, qui vocati venerunt. Item loquitur de vocatione, qua qui vocati sunt, sibi soli tribuere debent, quod non venerunt, quia ut venirent erat in eorum libera potestate. Sed sine vocatione interna seu gratia excitante nemo potest venire ad Christum. Ergo ex S. Augústino datur aliqua vocatio interna, quacum aliqui venire ad Christum potuerunt in iis circumstantiis in quibus versabantur; & tamen non venerunt ex sua sola culpa, nam id sibi soli tribuere debent. Atqui vocatio interna quacum homines possunt venire ad Christum per fidem & dilectionem, & tamen quacum non veniunt ax culpa sua, est gratia excitans

verè sufficiens; & tamen non efficax. Ergo. 2. lib. de corr. & grat. c. 7. *justior enim videtur excusatio dicentium, non accepimus audientiam, quàm dicentium, non accepimus perseverantiam: quoniam potest dici, homo, in quo audieras, & tenueras in eo perseverares si velles; nullo modo autē dici potest: id quod non audieras, crederes, si velles.* Ergo homo qui non perseverat in fide & charitate, non habet excusationem; quia perseverasset si voluisset. Ergo qui non perseverat, potuit perseverare, ac proinde habuit gratiam verè sufficientem ad perseverandum; cui noluit consentire. 3. Epist. 153. *pertinet ergo ad nos, ut boni simus, accipere & habere quoad dat, qui de suo bonus est, quò quisque neglecto, de suo malus est.* 4. l. 1. de peccatorum merit. cap. 39. *si* (parvulus) *post baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet* (concupiscentiam) *cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit.* Ubi clare significat adultos peccatores non esse reprobatos, nisi quia gratiæ Dei consentire nolunt.

Accedit ratio Theologica. Quia Deus vult sincere salvare omnes homines; ergo

ergo dat omnibus media verè sufficientia ad salutem, quibus tamen multi non consentiunt, cum multi non salventur. Item Deus vult, ut omnia sua præcepta observentur ab omnibus. Ergo dat gratias sufficientes ad ea servanda: alioqui vellet rem impossibilem, & homines obligaret ad impossibile; & tamen sæpe violantur. Ergo.

Confirm. Ex his Quenelli propositionibus ab Ecclesia damnatis 13. *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.* 15. *Quando Deus mandatum suum, & suam externam locutionem comitatur unctione sui spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit. Adde multas alias sequentes.*

§. III.
Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Gratia sufficiens non reperitur in Scriptura: ergo non datur.

Resp. Quamvis nomen gratiæ sufficientis non reperiatur in Scriptura: at res per illud significata habetur in Scriptura & Traditione. Quod sufficit; & verò

quis nesciat nova subinde nomina ab Ecclesia fuisse adhibita ad meliùs exprimendas res fidei jam olim creditas?

Obj. 2. Isai. c. 55. Deus dicit: *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.*

Resp. Hic per *verbum* intelligitur, non gratia interna, sed aliquid illud à sola Dei voluntate pendens, nempe promissum de Fœdere Novi Testamenti, de Messia, & bonis per eum dandis. Et verò verbum Dei propriè est res à Deo revelata. Certè multæ res à Deo hominibus revelatæ, non ideo ab illis implentur: Sic præcepta divina à Deo hominibus declarata non semper servantur. Præterea gratia interna non caret omni effectu, nec redit vacua: nam 1. saltem hunc habet effectum à Deo intentum, ut manifestet divinam benignitatem, misericordiam, providentiam, ac sinceram voluntatem salvandi omnes & singulos homines. 2. Si non obtinet in homine ei resistente effectum à misericordia divina intentum; redundat in effectum justitiæ respectu illius. Deus enim, ut docet S. Thomas virtualiter, duplicem habet inten-

intentionem, nempe ut bonum fiat, & ut homo qui non vult bonum agere, pœnam subeat. Unde cùm alterutrum semper fiat, verbum Dei sive exterius sive interius ad ipsum non redit vacuum. Denique si textus objectus gratiam internam spectaret, intelligeretur respectu illorum, ad quos ex voluntate efficaci salutis mittitur verbum internum seu gratia: nam re vera respectu illorum, nempe electorum, nunquam de facto redit vacuum, sed semper prosperatur.

Obj. 3. Christus, Joann. c. 6. ait: *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* In quæ verba sic habet S. Augustinus, l. de prædestin. Sanct. c. 8. *Quid est, omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me, nisi, nullus est qui audiat à Patre & discat, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit à Patre & didicit, venit; profectò omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit: nam si audisset, & didicisset veniret.* Et inferiùs. *Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.*

Resp. Hìc & in aliis similibus locis agitur de gratia efficaci, quæ re vera sem-

per effectum suum habet. Sed præter gratiam efficacem datur alia verè sufficiens, quæ dat completam potentiam agendi bonum, & tamen ex culpa voluntatis caret effectû ad quem datur, & quem habere potest in iis circumstantiis in quibus datur, ut constat ex aliis locis Scripturæ & S. Augustini in probatione allatis.

Nota. S. Augustinus, in suis contra Pelagianos & Semipelagianos libris, agit præcipuè de gratia efficaci; tum quia est species perfectissima: sic cum generatim describitur Orator vel Pòeta, exhibetur is qui in illò genere sit perfectissimus. Tum quia cum Pelagius diceret hominem solis viribus naturalibus bona ac salutaria opera facere, debuit Augustinus pro necessitate gratiæ pugnans docere, quód Deus per suam gratiam hujusmodi opera faciat, & consequenter loqui de gratia quatenus re ipsa bonum opus operatur, seu de gratia efficaci. Sive quia controversia contra Hæreticos illos erat præsertim utrùm actus salutaris, seu aliquo modo conducens ad salutem fieret sine gratia interna præveniente omnem usum libertatis, & immediate efficiente voluntatem: gratia autem qua sit actus salutaris, est

gratia

gratia efficax: Denique quia agebatur de prædestinatione gratuita ad gratiam re ipsa cum salute connexam. Loquitur S. Doctor de gratia. Præterea S. Doctor sæpe loquitur de gratia efficaci, non ut efficaci, sed præcise ut est auxilium gratuitum, necessarium. Et variis in locis loquitur de gratia in genere, nempe prout præscindit ab efficaci & sufficiente.

Dices. S. Augustinus explicat de gratia efficaci illud Christi, Joann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Ergo sine gratia efficaci homo non potest facere bonum, ideoque non habet completum posse.

Resp. Disting. conseq. Sine gratia efficaci homo non potest facere bonum potentia reducenda ad actum idque ratione connexionis alicujus veritatis cum alia veritate, *conc. conseq.* Potentia ad actum merè reducibili, *nego conseq.*

Obj. 3. S. Augustinus, lib. 1. ad Simplic. dicit: si Deus miseretur, jam volumus.

Resp. Loquitur de misericordia speciali, qua Deus vocat hominem quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat.

Obj.

Obj. 4. Ex S. Augustino necesse est voluntatem Dei semper impleri. Ergo cùm Deus det gratiam ut fiat bonum, illa semper habet effectum.

Resp. Distinguo ant. Necesse est impleri Dei voluntatem absolutam & efficacem, *conc. ant.* Dei voluntatem inefficacem & conditionatam licèt sinceram, *nego ant. & conseq.* Deus autem non semper vult efficaciter, ut agamus bonum, & consentiamus gratiæ. Hinc S. Augustinus duplicem distinguit vocationem, unam quæ est secundùm propositum, id est decretum Dei gratuitum & efficax, & hæc semper habet effectum; alteram, quæ non est secundùm propositum, & hæc effectu ad quem datur, caret, quia voluntas non vult ei consentire.

Dices. Voluntati Dei nemo resistit, juxta illud, Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Sed si daretur gratia merè sufficiens, voluntati Dei resisteretur. Ergo.

Resp. Disting. maj. Nemo resistit voluntati Dei efficaci, *conc. maj.* Voluntati inefficaci, *nego maj.* Nam, Isai. 65. Deus dicit: *Quæ nolui egistis.* Et verò Deus vult præcepta sua ab omnibus observari;

&

& tamen sæpiùs violantur quàm observentur.

Obj. 5. Gratia sufficiens ex S. Augustino est auxilium Sine quo non fieri potest opus salutare. Sed ex eodem S. Doctore auxilium sine quo non, fuit auxilium proprium naturæ innocentis; nec datur in statu naturæ lapsæ nisi auxilium quo, per quod intelligit gratiam irrepudiabilem. Ergo.

Resp. S. Doctor per auxilium Sine quo non, intelligit non quodvis auxilium sufficiens, sed duntaxat auxilium datum Adamo ad perseverandum in justitia originali, præter quod auxilium Adamus habuit alia auxilia efficacia, quibus bonum egit in illo statu. Per auxilium verò quo intelligit, non gratiam actualem interiorem, sed ipsam perseverantiam finalem formalem datam electis in statu naturæ lapsæ, quæ consistit in morte in statu gratiæ.

Obj. 6. Gratia sufficiens est adjutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis. Sed tale adjutorium est Pelagianum. Ergo.

Resp. Disting. maj. Id est, gratia sufficiens est adjutorium dans voluntati completum posse, seu completam potentiam

agendi bonum, sed non faciens ut voluntas reipsa velit & agat, *conc. maj*. Id est, est adjutorium non immediate movens, excitans & corroborans voluntatem ad agendum bonum salutare, *nego maj*. Gratia mere sufficiens non est adjutorium possibilitatis in sensu Pelagii: nam juxta Pelagium, adjutorium possibilitatis non dabat posse simpliciter, sed solum posse facilius & consistebat tantùm in Lege ac Doctri- exterius vel etiam interius propositis. Pelagiùs enim contendebat liberum arbitrium per se solum valere ad quodlibet opus salutare, ideoque non indigere gratia ad posse simpliciter, sed tantùm ad facilius posse, & hanc Gratiam constituebat in Lege & Doctrina, & exemplis Christi quæ ad Doctrinam revocari possunt, atque etiam ad summum in supernaturali illustratione mentis. At gratia sufficiens, quam cum Catholicis omnibus propugnamus, consistit non solum in supernaturali illustratione intellectus, sed etiam & potissimum in pia motione voluntatis indeliberata, & dat posse simpliciter velle & agere bonum salutare, voluntatem immediate excitando, elevando, corroborando & adjuvando ad illud volendum & agendum:

Dices.

Dices. Pelagius docebat posse agere esse à Deo.

Resp. Per posse agere intelligebat liberum arbitrium sibi relictum, quod docebat esse à Deo creante, vel etiam extrinsecus tantum adjuvante, nempe per Legem & Doctrinam.

Obj. 7. Si datur gratia sufficiens, homo posset se ipsum arbitrio suo discernere ab aliis. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam ex eo quod homo cum gratia sufficiente possit agere bonum, sequitur tantum quod possit non impedire discretionem sui, consentiendo gratiæ ut potest, esset discretus non à se, sed à Deo Gratiam congruam ei dante in suppositione consensus. Si enim homo cum gratia sufficiente bonum salutare vellet, non vellet nisi dependenter à Deo ipsum saltem natura prius movente quomodo scit ei congruere ut velit. Nempe hæ duæ veritates (homo excitatus à Deo, vult & agit bonum: Deus excitat hominem quomodo ei congruit ut velit & agat bonum) ita sunt inter se connexæ, ut prima necessario supponat secundam, & secunda necessario inferat primam. Unde supponi non potest homo

velle

velle & agere bonum salutare, quin supponatur Deus saltem naturâ priùs excitasse hominem quomodo scit ei congruere ut velit & agat bonum: ac proinde supponi non potest homo velle agere bonum, quin supponatur saltem naturâ priùs esse à Deo discretus per gratiam congruam purè gratuitam.

Obj. 8. Si daretur gratia merè sufficiens, esset donum Dei, & recte peti posset à Deo. Falsum conseq. Nam illam petere est petere gratiam quæ effectu careat. Ergo.

Resp. Disting. maj. Gratia mere sufficiens esset donum Dei, ut est gratia verè sufficiens, & dat veram ac completam potentiam agendi bonum salutare, *conc. maj.* Ut est gratia merè sufficiens, seu ut involvit resistentiam voluntatis, *nego maj.* Gratia merè sufficiens spectata secundum se & ex parte Dei est gratia verè sufficiens dans voluntati completam potentiam agendi bonum salutare: unde ut talis est donum Dei, & recte peti potest. At gratia verè sufficiens spectata ut merè sufficiens, est gratia spectata ut carens effectu ex culpa voluntatis: unde sic spectata non est donum Dei, sed involvit resisten-

ſiſtentiam culpabilem voluntatis. Quare gratia ſufficiens ex parte Dei eſt magnum donum, non autem ut ſpectata ex parte hominis ei reſiſtentis.

Obj. 9. Eccleſia petit tantum gratias efficaces. Ergo.

Reſp. Nego conſeq. Quia Eccleſia poteſt petere tantum id quod melius eſt. Præterea Eccleſia petit tantum gratias efficaces, non quia non dantur merè ſufficientes; ſed quia non ſalvabimur, niſi bonum re ipſâ volendo & agendo, & bonum re ipſa nunquam volemus & agemus ſine gratiis efficacibus; quamvis cum ſufficientibus poſſemus bonum agere & ſalvari; & re ipſa bonum ageremus & ſalvaremur, ſi vellemus iſtis gratiis conſentire.

Obj. 10. Gratia ſufficiens nunquam habuit, & habitura eſt effectum. Ergo eſt inutilis, imò pernicioſa.

Reſp. Diſting. anteced. Nunquam habuit, & nunquam habitura eſt effectum in iis circumſtantiis in quibus ſupponitur fuiſſe & fore merè ſufficiens, idque ex ſola culpa voluntatis, *conc. ant.* In omnibus illis circumſtantiis poſſibilibus, *nego ant.* Nam eadem ſecundùm ſpeciem, & inten-

intenſionem gratia, quæ in aliquibus cir-cumſtantiis incongrua eſt & merè ſuffici-ens, in aliis multis poteſt eſſe, & eſt con-grua. Unde gratia ſic eſt merè ſufficiens pro aliquibus circumſtantiis, ut poſſit eſſet, & ſit efficax pro aliis.

Dices. Gratia ſufficiens eſt inutilis ſaltem pro iis circumſtantiis in quibus eſt merè ſufficiens.

Reſp. Nego. Nam licèt ex culpa vo-luntatis, reddatur ſubjecto inutilis, eſt ta-men per ſe utilis etiam in iiſdem illis cir-cumſtantiis: nam in iis dat voluntati com-pletam potentiam agendi bonum; qua ſi vellet uti, bonum ageret. Sic pecunia non eſt per ſe inulilis ei qui ea uti po-teſt, ſed non utitur. Præterea hæc gra-tia ſemper conducit ad Dei providenti-am, benignitatem & ſinceram voluntatem ſalvandi reprobos, oſtendendam.

Dices. Voluntas reſiſtit gratiæ ſuffici-enti in ſuam perniciem. Ergo hæc gra-tia eſt ei perniciola.

Reſp. Nego conſeq. Nam voluntas poteſt huic gratiæ conſentire, & per eam habet completam potentiam agendi bonum ſalutare. Hinc Alexander VII. damna-vit hanc propoſitionem: *Gratia ſufficiens*

ſtatui

statui nostro non tam utilis est quàm perniciosa est, sic ut proinde meritò possimus petere à gratia sufficienti libera nos Domine. Et verò an Sacramenta dici possunt perniciosa ex eo quòd multi iis in suam perniciem abutantur.

Nota. Hoc ipso quod dicitur gratia merè sufficiens, denotatur resistentia voluntatis, quæ impedit effectum gratiæ. Sed si voluntas consentiret, ut consentire potest, jam gratia illa haberet effectum. Quare gratia sufficiens nunquã effectu caret ex defectu alicujus virtutis ad agendum necessariæ, sed ex sola culpa voluntatis nolentis ei consentire.

Obj. II. Gratia sufficiens secundum nos est debita naturæ: ergo non est vera gratia Christi.

Resp. Nego ant. Nam secundum nos gratia sufficiens est donum verè gratuitum, & prorsus indebitum naturæ. Deus enim justè potuit condere naturam intellectualem sine ordinatione ad finem supernaturalem: unde gratia quæ est medium ad finem supernaturalem assequendum, neque debetur naturæ intellectivæ, neque ab ea exigitur.

Dices. Saltem secundum nos ex hy-
pothesi

pothesi, elevationis naturæ humanæ Deus illi debet gratiam.

Resp. Nego. Equidem ex hypothesi quòd Deus naturam intellectualem gratis evehat ad finem supernaturalem, & ei det præcepta, quæ sine gratiæ auxilio observari nequeunt, tenetur, non quidem naturæ intellectuali, sed sibi, non ex jure naturæ nostræ, sed ex sapientia & benignitate sua subministrare auxilia gratiæ, sine quibus creatura intellectualis non potest finem ad quem gratis elevata est, assequi, & servare præcepta sibi imposita. Nam si Deus ejusmodi auxilia non suppeditaret, creaturam intellectualem ordinaret ad finem, ad quem nollet eam pervenire, & impossibilia præciperet, quod sanè repugnat sapientiæ ac bonitati infinitæ.

Loquor de creatura innocente. Nam quamvis Deus naturam humanam ad finem supernaturalem ordinaverit, posset tamen absque injustitia & indecentia omnibus hominibus gratiam sufficientem ad salutem denegare; quia cum omnes homines ex Adamo via naturali descendentes, peccarint in Adamo, & nascantur rei peccati originalis, aut saltem debiti illud contra-

contrahendi (quod addo propter Deiparam Virginem) digni sunt privatione omnis beneficii divini spectati scilicet ut non redempti per Christum. Deus tamen gratiæ auxilia sine quibus mandata ejus servare non possumus, denegare nobis non potest ex sua sapientia & benignitate, si velit ut ea observemus, eorumque violationem suppliciis æternis mulctari: nam Deus, ut pote infinite sapiens ac bonus, non potest impossibilia præcipere, & ad culpam imputare omissionem eorum quæ absolutè fieri non potuerunt.

Obj. 12. Gratia efficax est necessaria ad quemlibet actum salutarem. Ergo non datur gratia mere sufficiens.

Resp. Disting. anteced. Id est sine gratia efficaci nemo agit bonum salutare, *conced. antec.* Id est sine gratia efficaci nullus potest fieri actus salutaris, *neg. ant.* Vel si vis, *disting.* ut alibi, gratia efficax necessaria est propter meram connexionem unius veritatis cum alia, *conc.* Propter virtutem aliquam necessariam ad agendum, quam includit gratia efficax, & qua caret gratia sufficiens, aut quæ non est in potestate habentis gratiam sufficientem, *nego ant. & conseq.*

Obj. 13. Gratia merè sufficiens oppo-

nitur gratiæ efficaci. Ergo cùm gratia efficax ſit verè ſufficiens: gratia merè ſufficiens non eſt verè ſufficiens.

Reſp. Gratia merè ſufficiens ſpectata ut vere ſufficiens, non opponitur gratiæ efficaci, ſed cum ea convenit, quatenus dat veram & completam potentiam agendi bonum ſalutare. Unde ei opponitur tantum quatenus connotat reſiſtentiam voluntatis nolentis ei conſentire. Cæterum hæ objectiones ſolvendæ ſunt adverſariis circa gratiam ſufficientem datam Adamo in ſtatu innocentiæ.

Nota. Gratia ſufficiens includit concurſum ſupernaturalem in actu primo, nempe omnipotentiam divinam paratam ad concurrendum ſupernaturaliter cum voluntate præmota per gratiam excitantem, ſi voluntas velit ei conſentire. Nam cum gratia excitante ſemper conjuncta eſt gratia adjuvans ſumpta in actu primo, nempe omnipotentia divina parata ſic concurrere. Gratia autem adjuvans ſumpta in actu ſecundo, præter gratiam excitantem dicit ſupernaturalem Dei concurſum actualem, qui eſt realiter & ſecundùm entitatem idem actus ſalutaris creaturæ: unde non eſt auxilium actui prævium, & habens prioritatem cauſalitatis reſpectu determinationis voluntatis. CA-

CANONES TRIDENTINI
Ex Seſſ. VI.

Si quis dixerit hominem ſine Chriſti juſtitia, per quam nobis meruit juſtificari, aut per eam ipſam formaliter juſtos eſſe; anathema ſit. Can 10.

Si quis dixerit hominem juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti; vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atq; illis inhæreat, aut etiam gratiam qua juſtificamur eſſe tantum favorem Dei; anathema ſit. Can. 11.

Si quis juſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, ut pote Divina poteſtate prædeſtinatos ad malum; anathema ſit. Can 17.

Si quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe; anathema ſit. Can. 22.

Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe, neq; gratiam amittere, atq; ideo eum, qui labitur & peccat nunquam vere fuiſſe

justificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit. *Can.* 23.

Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atq; etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit. *Can.* 24.

Plures Canones huc pertinentes positi sunt ad finem tum Tractatûs de fide, tum de actibus humanis.

Propositiones damnatæ.

1. Pagani, Judæi, hæretici aliiq; hujus generis nullum accipiunt à Jesu Christo influxum, adeoq; hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti. *Alex.* VIII. 1690. 7. *Decembr.*

2. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: à gratia sufficiente libera nos Domine. *Alex.* VIII. *eod an.* & *die.*

3. *Famosæ quinq; propositiones Jansenii positæ sunt supra pag.* 213.

4. Nec Angeli nec primi hominis adhuc

adhuc integri merita recte vocantur gratia. 1. *Baj.*

5. Pelagii ſententia eſt opus bonum citra gratiam adoptionis factum non eſt regni cœleſtis meritorium. 12. *Baj.*

9. Cum Pelagio ſentiunt qui textum Apoſtoli ad Rom. 2. *Gentes, qui legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt;* intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. 22. *Baj.*

7. Aut tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe ſic ut in eam non inducatur aut ab ea ſuperetur. 30. *Baj.*

Plures vide tum ſuperius paq. 270. tum ad finem Medul. Theol. P. Buſembaum noviſſimæ editionis præſertim inter damnatas à Clemen. XI. in Bul. unigenitus.

EX TRACTATU DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

De Eſſentia, & Exiſtentia Sacramentorum.

§. I.

Quid ſit Sacramentum.

Nota. 1. HÆC vox *Sacramentum* dicitur à ſacro, & tripliciter accipi-

accipitur à secris scriptoribus, videlicet. 1. Pro re occulta præsertim sacra, nempe pro sacro sacreto seu mysterio, ut, sap. cap. 2. *Nescierunt Sacramenta Dei.* 2. Pro signo rei sacræ occultæ. 3. Pro signo aliquo sensibili nostræ sanctificationis. Sic à Patribus accepta fuit, & in hoc sensu hic accipitur.

Nota. 2. Signum est id omne, quod cognitum, ducit nos in cognitionem alterius. Duplex est: nempe naturale, quod aliquid ex natura sua significat; ut fumus, qui naturaliter indicat ignem; & arbitrarium, quod ex instituto solum significat: sic hædera pensilis vinum venale significat: Porro signum res non solùm præsentes, sed etiam futuras & præteritas significare potest.

Sacramentum genericè sumptum sic definiri potest: *Signum sensibile sacrum gratiæ sanctificantis, permanenter à Deo institutum.* Jam vero Sacramentum antiquæ legis: *Signum sensibile sacrum permanter à Deo institutum & significans tantum gratiam dandam per passionem Christi.* Novæ legis: *Signum sensibile Sacrum pormanenter à Christo institutum ad significandam & efficiendam infallibiliter & ex opere operato gratiam sanctificantem.* Per hoc enim à se in vicem differunt.

ferunt, quod antiqua gratiam significarent tantum nobis dandam; nova veró illam præsentem significent, atq; eandem conferant infallibiliter per se, & ratione actionis in qua consistunt; ut constat ex concilio Florentino in decreto de Sacramentis. Unde Sacramenta novæ legis sunt signa practica efficientia quod significant per modum causæ instrumentalis moralis, & in genere signi, cui promissio divina est immediate alligata, & quatenus sunt actiones Christi quæ per se & immediatè movent Deum ad gratiam conferendam propter ejus merita.

Confirm. id ex Trid. Conc. sess. 13. c. 3. Sacramentum novæ legis est *symbolum rei sacræ, & invisibilis gratiæ forma visibilis (id-est, sensibilis) sanctificandi vim habens.*

Observa. Sacramenta novæ legis præter gratiam sanctificantem, quæ est primarius illorum effectus, alia quædam efficiunt. Nam 1. omnia dant *jus* ad auxilia gratiæ actualis ad finem suum assequendum idonea, & opportuno tempore infallibiliter conferenda, nisi ponatur obex ab eo, qui Sacramentum suscepit. Sic baptismus gratiæ auxilia ad vitam christianam agendam; confirmatio ad fidem fortiter profitendam, & contra dæmonis ten-

tatiionis

tationes conservandam; Euchaistia ad conservandam & augendam charitatem; Extrema-unctio ad hostes salutis in extremo vitæ articulo vincendos; Ordo ad Clerici, & Matrimonium ad conjugati officia rectè obeunda, obligationesque observandas subministrat. 2. Tria, scilicet Baptismus, Confimatio, & Ordo spiritualem characterem animæ imprimunt. 3. Aliqua dant capacitatem, ut Baptismus, & potestatem aliquam spiritualem, ut Ordo.

§. II.

Quot sint novæ legis Sacramenta?

Nota. Ex veteribus hæreticis quidam omnia Sacramenta rejecerunt, nempe Ascodrupetæ, seu Ascodryti. Aliqui vero aliqua tantum: nempe Manichæi & Seleuciani Baptismum; Novatiani Confirmationis & Pœnitentiæ Sacramenta; Bogomili Euchariſtiam; Albigenses Extremam-unctionem; Tranchelinus Ordinem; Enerabitæ seu Taciani Matrimonium repudiarunt. Recentiores autem hæretici communiter tria tantũ Sacramenta admittunt: Lutherani Baptismum, Pœnitentiam, & Euchariſtiam: Calvinistæ Baptismum, Euchariſtiam, & Ordinationem: Zuingliani Baptismum, Eu-

chari-

charistiam, & Matrimonium. Dixi, *communiter.*, nam inter illos alii aliter sentiunt.

Dico. In nova lege existunt septem Sacramenta, nec plura, nec pauciora: scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo, & Matrimonium. Est de fide.

Prob. 1. Quia ex Scriptura tot sunt, nec plures cæremoniæ, seu signa sensibilia permanenter instituta ad gratiam significandam & efficiendam, ut probabitur ubi de singulis agetur.

2. Ex perpetua Ecclesiæ traditione: nam assignari non potest tempus, quo hæc doctrina de septem Sacramentis post Apostolos in Ecclesia admitti cœperit. Quare pro septem Sacramentis valet illa regula S. Augustini, l. 4 de Baptismo, c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentū est, non nisi auctoritate apostolica, traditū rectissimè creditur.*

3. Ex Concilio Florentino, in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *novæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo, & Matrimonium.* Et ex Concilio Tridentino sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta*

ta; aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquodum horum septem non esse vere & propriè Sacramentum; anathema sit.

Hæc sola Concilii generalis auctoritas sufficere debet etiam ipsis hæreticis, nam semper hæc fuit apud Christianos consuetudo, ut exortas controversias definirent Episcopi, qui tunc vivebant. Et præsentis Ecclesiæ judicium ad controversias præsentes dirimendas sufficere & obligare omnes, agnoscere tandem compulsi sunt ipsi Calvinistæ, ut constat ex gestis in eorum Synodo Dordrectensi contra Arminium.

Ratio à priori cur sint septem Sacramenta, est voluntas & institutio Christi. Cujus quidem voluntatis ratio congrua hæc à S. Thoma, 3. p. q. 75. art. 1. affertur. Quia nempe per illa septem Sacramenta Christus tum privatæ cujusque hominis, tum publicæ totius Reipublicæ Christianæ perfectioni spirituali sufficientissimè providit. Nam homo spiritualiter nascitur per Baptismum: spiritualiter roboratur per Confirmationem: spiritualiter nutritur, conservatur, crescit

&

& augetur per Euchariſtiam: ſpiritualiter ſanatur, imo iterum ſuſcitatur per Pænitentiam, cum morbum, vel etiam mortem ſpiritualiter per peccatum contraxit: denique in mortis articulo, in quo ſalus periclitatur, contra ſalutis hoſtes corroboratur, & contra peccatorum reliquias ac infirmitates remedium accipit per Extremam-unctionem.

Per Ordinem vero Reſpublica Chriſtiana accipit patres ſpirituales & paſtores; & per Matrimonii Sacramentum Populus Chriſtianus propagatur ac multiplicatur ſancto Matrimonii uſu. Sicque Chriſtus per quinque priora Sacramenta privatæ cujuſque hominis, & per duo poſtrema communi totius Reipublicæ Chriſtianæ vitæ ſpirituali ſufficientiſſimè providit.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Scriptura nuſquam dicit ſeptem eſſe Sacramenta. Ergo tot non ſunt.

Reſp. Nego conſeq. Quia 1. ſcriptura neque duo aut tria Sacramenta expreſsè numerat, & nullibi dicit eſſe quatuor evangelia; & tamen hic numerus Sacramentorum & evangeliorum ab adverſariis admittitur. 2. Quia præter Scripturam extat tra-

ditio,

ditio, quæ æquè verbum Dei continet, ex qua constat septem esse Sacramenta, non duo, aut tria tantùm. 3. Quia scriptura implicitè saltem septem Sacramenta tradit. Hoc ipso, quod septem signa sensibilia seu ritus externos tradit quibus convenit definitio Sacramenti.

Obj. 2. Omnia nostra Sacramenta ex latere Christi in Cruce pendentis fluxerunt. Sed inde non fluxerunt nisi duo Sacramenta, ex Joan. c. 19. ubi ex latere Christi fluxisse dicuntur sanguis & aqua, id est, Baptismus & Eucharistia, ut exponunt multi Patres Græci. Ergo.

Resp. Ad maj. Omnia Sacramenta ex latere Christi fluxerunt hoc sensu, quod omnia Sacramenta sint fructus & applicatio pretii Sanguinis Christi in cruce effusi; & quod hæc applicatio figurata sit per effusionem sanguinis & aquæ; quatenus Sanguis Christi effusus, est causa meritoria gratiæ; & aqua, figura fuit gratiæ sanctificantis per Sacramenta conferendæ.

Resp. Ad min. 1. Secundùm multos Patres per Sanguinem & aquam Baptismus quidem & Eucharistia significantur, non tamen exclusivè, excludendo scilicet alia Sacramenta; sed hæc speciatim commemorant, quia magis communia & principalia sunt.

ſunt. 2. Per ſanguinem & aquam alia ab aliis Patribus intelliguntur. Nam Cyril. Hieroſ. & Hieronymus intelligunt martyrium & baptiſmum: Ambroſius vero, Auguſtinus, & Leo Magnus, per ſanguinem intelligunt noſtræ redemptionis pretium, & per aquam Baptiſmum.

Obj. 3. Septenarius Sacramentorum numerus non reperitur in Patribus. Ergo non extat.

Reſp. Nego conſeq. Quia quamvis Patres nuſquam expreſsè dicant eſſe ſeptem Sacramenta, nuſquam tamen hunc numerum negant, nec ullibi aſſerunt eſſe duo aut tria tantùm. Patres autem ſeptenarium illum numerum expreſsè non tradunt, quia nullus Sacramenta numeranda ſuſcepit; ſed ad ſuum propoſitum mentionem aliquorum Sacramentorum fecerunt; & de aliis, de quibus non habeant cauſam neceſſariam loquendi, tacuerunt. Aliqui Patres duo vel tria poſuerunt per modum exempli, ſupponendo cætera. Alii vero de duobus aut tribus tantùm Sacramentis tractarunt, quia hoc tantùm exigebat opus ſibi propoſitum: Sic v. g. S. Ambroſius, in libris de Sacramentis tractat tantum tria Sacramenta, nempe Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam, quæ eodem die Catechumenis conferε

fere-

ferebantur; quia Catechumenos docere volebat solùm ea, quæ eodem die suscipere debebant.

Obj. 4. S. Augustinus, l. 3. de doctrina christiana, c. 9. duo tantùm Sacramenta admittit, nempe Baptismum & Eucharistiam.

Resp. Nego. Nam ibi duo illa Sacramenta solùm ponit per modum exempli, nec negat alia. Sic enim ibi ait: *Pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima ipse* Dominus *& apostolica tradidit disciplina: sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis* Domini. Ubi vox *sicuti* clare indicat hæc duo Sacramenta poni loco exempli; utpote magis communia & principalia. Præterea S. Doctorem præter Baptismum & Eucharistiam admisisse alia quinque Sacramenta constat; Confirmationem quidem, ex lib. 2. contra litteras Petiliani, c. 14. Pœnitentiam & Extremam-unctionem, ex lib. 5. de Baptismo, cap. 20. Ordinem, ex lib. 2. contra epist. Parmeniani, c. 13. Matrimonii denique Sacramentum, ex lib. de bono conjugali, c. 18.

Obj. 5. Plura sunt Sacramenta quàm septem. Nam lotio pedum est Sacramentum.

Resp. Nego. Nam vera Christi Ecclesia, contra quam portæ inferi non prævalebunt,

bunt, nunquam plura admisit. Lotionem autem pedum non esse Sacramentum ex eo etiam constat, quod ad Sacramentum proprie dictum requiruntur etiam juxta hæreticos, promissio gratiæ, & mandatum ritus externi: quæ duo in lotione pedum minime reperiuntur. Nam 1. promissio gratiæ facta lotioni pedum neque ex scriptura, neque ex traditione ostendi potest. Verba enim illa Joann. cap. 13. (*si non lavero te, non habebis partem mecum*) non significant promissionem gratiæ, sed dumtaxat comminationem pœnæ propter inobedientiam, ut interpretantur Basilius, Chrysostomus, & alii Patres. 2. Non erat præceptum exercendi lotionem pedum materialem. Nunquam enim tale præceptum agnovit Ecclesia: nam ritus lotionis pedum nunquam usurpatus fuit ab universa Ecclesia, neque à particulari Ecclesia Romana, omnium aliarum Ecclesiarum matre & Magistra, à qua institutionem Christi ab initio ignoratam aut neglectam fuisse, nemo etiam hæreticorum dixerit.

Illa quidem pedum lotio in aliquibus Ecclesiis particularibus, ut Mediolanensi post adultorum baptismum usurpata fuit, sed non ut ritus à Christo præceptus, aut Sacramentum: alioqui errassent.

Porro

Porro lotio pedum dici potest Sacramentum latè & impropriè dictum, nempe sumptum pro eo quod habet sensum mysticum, & est signum alterius rei sacræ. Nam lotio illa fuit signum charitatis & humilitatis Christi & fidelium qui eum imitari debent, item puritatis qua debemus ad Eucharistiam accedere.

Inst. 1. Christus, Joann. c. 13. lotionem pedum præcepit his verbis: *si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

Resp. Nego. Nam Christus verbis illis, solùm humilitatis & charitatis erga proximum actus, non verò externam & materialem pedum lotionem præcepit, ut exponit Chrysostomus, & constat ex sensu & praxi Ecclesiæ. Quare ibi præcipitur pedum lotio in sensu mystico & figurato, sumpta scilicet pro actu humilitatis & charitatis erga proximum.

Inst. 2. Cyprianus, serm. de ablutione pedum; Ambrosius, l. 3. de Sacramentis; & Bernardus, serm. 1. de Cœna Domini, docent pedum lotionem esse Sacramentum, & quidem proprie dictum.

Resp. Nego. Nam 1. auctor sermonis de

de ablutione pedum, qui non eſt Cyprianus, ſed quidam ignotus, ut probat Bellarminus, l. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis: ille (inquam) auctor & Bernardus ſolùm intendunt externam pedum lotionem, quæ à Chriſto facta eſt, fuiſſe ſignum ſpiritualis lotionis, nempe expiationis venialium culparum, quæ quotidie in nobis à Chriſto fieri debet per orationem, jejunium, actus humilitatis & charitatis erga proximum. Unde cum dicunt illam pedum lotionem faciendam eſſe quotidie, intellige faciendam, non materialiter, ſed ſpiritualiter ac myſticè, exercendo ſcilicet actus virtutum per illam ſignificatos ad expianda peccata venialia.

2. Ambroſius, loco objecto, ſolum vùlt lotionem pedum baptizati, quæ fiebat ab Epiſcopo, eſſe Sacramentum impropriè dictum, nempe cæremoniam ſacram quæ aliquid ſacrum ſignificaret, & per quam impetiantur auxilia ad faciliùs reſiſtendum diabolo. Unde juxta illum illa lotio eſt quoddam ſacramentale ſeu cæremonia ſacra, cujuſmodi eſt aqua benedicta, ſignum crùcis, &c. Nam ibidem aſſerit ſe non reprehendere Eccleſiam Romanam, in qua ejuſmodi lotio non fiebat. Quod certe non dixiſſet, ſi hanc

lotionem verum Sacramentum esse sensisset.

Obj. 6. Signum crucis, exorcismi, insufflationes in Baptismo fieri solitæ, vocantur ab aliquibus Patribus Sacramenta.

Resp. Ea intelligunt esse Sacramenta latè & impropriè dicta, quatenus nempe sunt signa alicujus rei sacræ. Nam ex omnium consensu Baptismus est primum omnium Sacramentorum, & cæterorum quasi janua; & sic nullum Sacramentorum propriè dictum confertur ante Baptismum.

Quæres 1. *Utrùm Sacramenta novæ legis sint æqualis inter se dignitatis?*

Resp. Negativè. Est de fide contra Lutherum. Nam Conc. Trident. sess. 7 can. 3. sic ait: *Si quis dixerit septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Et verò quis non videt Eucharistiam cæteris dignitate præstare, cum ipsummet Christum sub speciebus panis & vini contineat?

Quæres 2. *Utrùm fuerint aliqua Sacramenta in lege naturæ & Mosaica?*

Resp. 1. In lege naturæ fuerunt aliqua Sacramenta.

Prob. Nam 1. ab Adamo usque ab Abrahamum fuit aliquod Sacramentum à Deo institutum pro infantibus à peccato origi-

originali liberandis, ut docet S. Augustinus, l. 5. contra Julianum, cap. 11. *Nec ideo tamen credendum est, & ante datam Circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis: quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa scriptura latere voluerit.* 2. Tempore legis naturæ data est Abrahamo Circumcisio, quæ fuit Sacramentum, ut docet S. Augustinus, l. 3. contra Julianum, c. 18. his verbis: *ad hoc responde, si potes, cur ipse Isaac nisi baptismatis Christi signo circumcisus die octava fuisset, periisset anima ejus de populo suo. Explica, si potes, tanta pœna quo merito plecteretur, nisi ab hac illo Sacramento liberaretur.* Ubi S. Doctor docet circumcisionem fuisse Sacramentum, & signum baptismatis Christi, id est, signum gratiæ per baptismum Christi conferendæ.

Resp. 2. In lege Mosaica fuerunt aliqua Sacramenta.

Prob. Nam in lege Mosaica præter Circumcisionem fuit pro masculis ante octavum diem morituris, & feminis omnibus idem Sacramentum, quod in lege naturæ à Deo institutum fuerat ad delendum peccatum originale. Deus enim tales non

reliquit absque remedio, nec providit solis masculis, qui octavo die circumcidi possent.

Præter ista duo Sacramenta fuerunt in illa lege alia plurima à Deo instituta, ut esus agni Paschalis, Pontificum & Sacerdotum consecrationes, expiationes & purificationes legales, &c. Nam hæc omnia & similia erant signa sacra, à Deo permanenter instituta ad præfigurandum Sacramenta novæ legis, & gratiam per ea conferendam.

Quæres 3. Utrùm Sacramenta fuerint homini necessaria?

Resp. Non fuerunt absolutè necessaria ad salutem independenter à voluntate & institutione divina. Nam sine illis Deus potuit absolute salvare homines in quovis statu. At sunt necessaria necessitate convenientiæ, & ad melius esse, quatenus sunt valde congrua & utilia homini post peccatum. Nam valde conveniebat, ut instituerentur signa sensibilia, quibus homines ad spiritualium cognitionem faciliùs adducerentur; in unam Ecclesiam adunarentur; ab infidelibus discernerentur; Deo consecrarentur; fidem eandem profiterentur; obedientiam, humilitatem & fidem exercerent; & sanctificarentur.

CA-

CAPUT II.

De causalitate & effectu Sacramentorum.

ARTICULUS I.

Utrùm Sacramenta novæ legis causent gratiam ex opere operato?

§. I.

Nota. 1. SAcramentum causare gratiam ex opere operato est illud gratiam conferre præcise & immediate ex vi ritus externi, in quo consistit Sacramentum, non autem ex merito conficientis vel suscipientis Sacramentum. Sive est gratiam à Deo conferri præcisè intuitu operis, in quo Sacramentum consistit, modò tamen non ponatur obex defectu dispositionis à Christo in adultis requisitæ.

Nota. 2. Lutherus & Calvinus negant Sacramenta novæ legis causare immediate gratiam justificationis; sed volunt ea solum valere ad excitandam & alendam fidem, qua homines justificantur. Unde juxta illos Sacramenta non plus valent quam verbum Dei prædicatum, à quo non differunt quoad effectum, nisi quod Sacramenta per visum excitent fidem, verbum vero prædicatum per aures hanc excitet.

Dico.

Dico. Sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato causant. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Sacramenta causare gratiam ex opere operato est illa gratiam conferre immediate & præcisè ratione operis in quo consistunt, cui Deus hanc virtutem tribuerit. Atqui ex Scriptura Sacramenta novæ legis sic gratiam conferunt: ergo gratiam causant ex opere operatio. *Prob. min.* Nam Scriptura hanc virtutem tribuit nostris Sacramentis, & 1. quidem Baptismo, Ephes. cap. 5. *Christus dilexit Ecclesiam & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et ad Tit. cap. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum, regenerationis.* 2. Eucharistiæ, Joann. cap. 6. *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam,* id est, gratiam sanctificantem, quæ est principium ac semen vitæ æternæ. 3. Pœnitentiæ, Joann. cap. 20. *accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 4. Ordini, 1. ad Tim. cap. 4. *noli negligere gratiám, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* 5. Confirmationi, Actor. cap. 8. *tunc imponebant* (Apostoli) *manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.*

Quod

Quod de Confirmatione explicant Patres, & Interpretes communiter. 6. Extremæ unctioni, Jacob: cap. 5. *orent super eum,* (infirmum) *ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum .... & si in peccatis sit, remittentur ei.* Eadem est ratio de Matrimonio, cum sit verum Sacramentum.

Prob. 2. Ex Traditione Patrum apud Bellarminum. Pro omnibus sint S Gregorius Nyssen. lib. de Bapt. ubi ait; *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis causa.* Et S. Augustinus, tract. 80. in Joann. *unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Ergo ritus externus Baptismi remittit peccata, regenerat, cor abluit, quod non potest præstare nisi gratiam sanctificantem conferendo. Ergo eandem etiam gratiam confert ritus externus aliorum Sacramentorum, cum sint verè ac propriè Sacramenta: nam r tio cur Baptismus gratiam ex opere operato confert, est quia Sacramentum est. Et in Psal. 73. *Sacramenta novi Testamenti dant salutem: Sacramenta veteris Testamenti promiserant salvatorem.*

Prob. 3. Ex Conciliis. Florentino, in decreto Eugenii ait: *hæc verò nostra* (Sacramen-

cramenta) *& continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Tridentinum, sess. 7. can. 8. *si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solum fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

Prob. 4. Ratione. Quia si Baptismus non confert justificationem ex vi præcisè ritus externi, sed solùm excitando fidem, frustra & inutiliter administraretur infantibus, utpote incapacibus actus fidei. Consequens repugnat fidei, & praxi Ecclesiæ, imo & ipsorum adversariorum. Ergo.

§. II.
Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Illud Marci, c. ult. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, &c.*

Resp. Inde solum sequitur fidem esse in adulto dispositionem necessariam ad gratiam justificationis in Baptismo recipiendam. Et ibi commendatur fides, quæ Baptismum præcedat, non quæ per Baptismum excitetur.

Obj. 2. Illud 1. Petri, c. 3. *vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma: non*

carnis

carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.

Resp. Sensus est, Baptismum justificare, non quatenus corporis sordes abluit, sed quatenus per vim à Christo acceptam emundat animam.

Obj. 3. Illud Job, c. 14. *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?*

Resp. Sensus est, Deum solum est causam physicam & principalem emundationis animæ, sed ad hanc emundationem efficiendam per gratiam habitualem utitur hominis ministerio & Sacramento tanquam causa instrumentali, ut ex aliis Scripturæ locis & Traditione constat.

Obj. 4. Tertullianus, l. de Pœnitentia, c. 6. ait de Baptismo: *lavacrum illud obsignatio est fidei . . . non ideo abluimur, ut delinquere desinamus; sed quia desiimus, quoniam jam corde loti sumus.*

Resp. Baptismum appallat obsignationem seu sigillum fidei; quia qui baptizatur, per Babtismum illum publicè fidem suam profitetur, atque etiam Ecclesia illum per suos ministro baptizando. His autem verbis (*non ideo abluimur &c.*) docet vita prius emendata suscipiendum esse Baptismum; & per cordis lotionem, qua dicit susci

suscipiendum esse Baptismum, intelligit contritionem, quæ tanquam dispositio requiritur ad sanctificationem per Baptismum consequendam.

Obj. 5. S. Hieronymus, in cap. 4. Isaiæ, sic ait: *ex quo discimus, quòd homo tantum aquam tribuat, Deus autem Spiritum-sanctum, quo sordes abluntur, & sanguinis peccata purgentur.*

Resp. Sensus est, quod homo ex sua naturali virtute & de suo aquam tantum præbeat, & verba consecratoria proferat: Deus autem ut causa physica & principalis gratiam sanctificantem, qua sordes animæ abluntur & peccata remittuntur, tribuat. Sed Deus ad illam gratiam producendam utitur ministerio hominis & Sacramento tanquam causa instrumentali morali.

Obj. 6. S. Augustinus, l. 15. de Trinit. c. 26. ait: *quomodo ergo Deus non est qui dat Spiritum-sanctum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum-sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant.* Et serm. 30. de verbis Domini. *Baptisma, quod semel adhibetur, per fidem mundat.*

Resp. Ad 1. Sensus est Spiritum sanctum non dari principaliter & physicè nisi à Deo, quia sic dari Spiritum-sanctum est illum.

illũ mitti. At nihilominùs homo Spiritũ ſanctum dare poteſt inſtrumentaliter, nempe conferendo Sacramentum quo Deus ut inſtrumento utitur ad producendam gratiam ſanctificantem & alia dona Spiritusſancti in anima ſuſcipientis Sacramentum. Nam, act. c. 8. dicitur, quod *per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus.*

Reſp. Ad 2. Senſus eſt, Baptiſmum mundare per fidem tanquam diſpoſitionem neceſſariam in adulto ad animæ emundationem recipiendam.

Inſt. S. Auguſtinus, lib. quæſtionum ſuper Leviticum, quæſt. 84. dicit, viſibilem ſanctificationem ab homine per Sacramentum, inviſibilem verò à Deo per Spiritum ſanctum conferri. Et ſupponit illam viſibilem ſanctificationem ſine inviſibili ſanctificatione eſſe poſſe.

Reſp. Ibi S. Doctor per viſibilem ſanctificationem intelligit conſecrationem ſeu ſpecialem ad cultum divinum deputationem ſuſcipientis Sacramentum: quæ conſecratio ſeu deputatio fit formaliter per ſuſceptionem Sacramenti. Et ſolùm intendit ad hanc conſecrationem ſeu viſibilem ſanctificationem ſufficere ſolum Sacramentum, & miniſterium hominis illud conferentis:

ad

ad invisibilem verò sanctificationem, quæ in gratiæ habitualis infusione consistit, præter actionem hominis requiri operationem Dei infundentis gratiam per Spiritum sanctum. Quare cum actio hominis, in qua consistit Sacramentum, possit esse sine operatione Dei infundentis gratiam, propter carentiam debitæ dispositionis in subjecto; & vicissim operatio Dei infundentis gratiam possit esse sine actione hominis in qua consistit Sacramentum, quia Deus extra Sacramenta infundere potest, & interdùm infundit gratiam; potest esse visibilis sanctificatio cum Sacramento sine invisibili sanctificatione, & vicissim invisibilis sanctificatio sine visibili sanctificatione & Sacramento.

Porro liber quæstionum veteris & novi Testamenti non est S. Augustini.

Obj. 7 In ommni Sacramento requiritur fides, qua credatur promissio gratiæ illi annexa. Ergo fides illa immediatè operatur justificationem.

Resp. Fides, quæ in Sacramento requiritur, in eo non requiritur nisi ut dispositio necessaria ad gratiam per Sacramentum recipiendam: non autem ut causa gratiæ, quæ in Sacramento recipitur.

Obj. 8. Si Sacramenta causant gratiam

ex

ex opere operato, inutiles sunt ad justificationem fides, spes, & contritio. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia hi actus in adultis à Christo exiguntur ut dispositiones necessariæ ad gratiam in Sacramento recipiendam: sed non idcirco sunt gratiæ Sacramentalis causæ. Sic ignis lignum per suam vim comburit, & tamen ut illud comburat, prærequiruntur ex parte ligni siccitas & approximatio.

Obj. 9. Si Sacramenta gratiam causant ex opere operato, Deus alligatus est Sacramentis. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Imò verò Sacramenta alligata sunt Deo: nam gratiam conferre non possunt sine Deo ut causa principali, qui tamen illam sine Sacramentis cuilibet conferre potest si velit. Quod autem Deus non possit non infundere gratiam sanctificantem homini, qui cum debitis dispositionibus Sacramentum suscipit, ratio sola est, quia Deus non potest non esse verax & fidelis in promissis suis perficiendis.

Obj. 10. Non convenit, ut Deus per res sensibiles conferat gratiam. Ergo non confert.

Resp. Nego anteced. Imò valde conveniens

niens est 1. ut homo, qui ex anima & corpore constat, per res sensibiles spiritualia doceatur & recipiat. 2. Ut symbola sensibilia distinctiva religionis à Christo gratiæ auctore instituta, causarent gratiam sanctificantem. 3. Ut homines, qui peccant abutendo rebus sensibilibus, iisdem se secundùm ordinationem Divinam subjiciendo, justificarentur.

Obj. 11. Hæ voces, *ex opere operato*, sunt novæ & barbaræ.

Resp. Sunt Luthero & Calvino longè antiquiores, cùm ante 500. annos ab Innocentio III de mysterio Missæ usurpatæ fuerint. Sed esto, sint novæ ac minùs latinæ, sunt tamen retinendæ, quia aptæ sunt ad fidei veritatem clariùs exprimendam, & distinguendam virtutem Sacramenti à dispositionibus suscipientis. Melius enim est, quòd nos reprehendant Grammatici quàm non intelligant populi, inquit Sanctus Augustinus, addo, aut minùs intelligant.

Observa. Omnia Sacramenta novæ legis significant & conferunt gratiam quantùm est ex se, non tamen ita absolutè quin implicitè involvant hanc conditionem, nisi suscipiens ponat obicem.

AR-

ARTICULUS II.
De Charactere sacramentali.

Nota 1. CHaracter generatim sumptus, est signum aliquod, quo res aliqua notatur, vel ut distinguatur ab alia, sic oves notantur charactere domini sui: vel ut alteri rei configuretur, sic S. Franciscus sacris Christi stigmatibus insignitus est: vel ut certum habeat valorem, sic metallum notatur sigillo Principis: vel ut deputetur ad certum statum aut officium, sic olim milites signo aliquo militari notabantur.

Nota. 2. Characterem sacramentalem, quem nempe Sacramentum imprimit animæ illud suscipientis, negant Lutherani & Calvinistæ post VVicleffum.

Dico 1. Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem. Est de fide.

Prob. 1. Ex traditione Patrum apud Bellarminum & alios. Pro omnibus sint S. Cyrillus Jerosol. Præfatione in Catecheses, ubi Baptismum vocat signaculum sanctum & indelebile. Et S. Augustinus, tract. 5. in Epist. Joann. ubi ait. *Accepit Sacramentum nativitatis homo baptizatus . . . videat, si habet charitatem . . . si autem non habet, characterem quidem impositum habet,* *sed*

sed desertor vagatur. Idem alibi pluries docet. Huic Traditioni scriptæ adde Traditionem oralem: nam hæc doctrina semper in Ecclesia tradita est: nec ostendi potest tempus quo cœpit, aut auctor à quo cœpit tradi.

2. Ex decreto Eugenii, in Concilio Florentino, ubi approbante Concilio dicitur: *Inter hæc Sacramenta* (novæ legis) *tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est, spitituale quoddam signum à cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.*

3. Ex Concil. Trid. sess. 7. can. 9. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirtuale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Ratio à priori est Christi voluntas & institutio: cujus conveniens ratio hæc à S. Thoma affertur, quia nempe conveniens fuit, ut Sacramenta illa per quæ homo constituitur in certo aliquo statu de se constanti & perpetuo, imprimant characterem, quo homo consignetur & deputetur ad illum statum. Per illa autem sola tria

Sacra-

Sacramenta homo constituitur in aliquo novo statu de se perpetuo, & ad illum deputatur. Nam homo per Baptismum constituitur in statu Christiani, & adscribitur in familiam Christi, fit membrum Ecclesinæ, & capax aliorum Sacramentorum atque aliorum Ecclesiæ bonorum: per Confirmationem constituitur in statu militum Christi ad pugnandum ex officio contra hostes fidei: per Ordinem constituitur in statu Ministrorum Christi, & potestatem accipit applicandi ejus merita. Cætera verò Sacramenta hominem non constituunt in novo statu de se perpetuo. Nam Eucharistia solùm nutrit spiritualiter. Pœnitentia solùm sanat, & ad vitam spiritualem revocat: Extrema-unctio solùm tollit peccatorum reliquias, & corroborat in extremo certamine; Matrimonium denique auxilia tribuit ad Matrimonii onera patienter ferenda, & ejus obligationes observandas, nec constituit in statu de se perpetuo, nam mortuo uno conjuge, manet alter ad alium statum liber.

Obj. 1. Character sacramentalis nullibi in Scriptura. reperitur Ergo non datur.

Resp. 1. Nego conseq. Quia præter Scripturam extat Traditio æqualis cum Scriptura auctoritatis, cùm æquè sit Dei verbum.

Resp. 2. Character ille continetur vel saltem insinuatur his Apostoli verbis, 2. Cor. 1. *Qui unxit nos Deus: qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus-sancti in cordibus nostris.* Ubi verbum *signavit* characterem sacramentalem significat, nam aliis vocibus jam significatur gratia sanctificans.

Obj. 2. Patres per characterem intelligunt, vel exterius Sacramentum, vel gratiam.

Resp. Neg. Nam Patres characterem distinguunt tùm ab ipso ritu Sacramenti, nam docent eum remanere post susceptum Sacramentum; & eum annumerant inter effectus Sacramenti: tùm à gratia, nam asserunt eum manere in peccatore ac desertore, & imponi in statu peccati.

Dico 2. Sola illa tria Sacramenta characterem imprimunt.

Fide constat, & *prob.* 1. ex Traditione & perpetua praxi Ecclesiæ, quæ solorum illorum trium Sacramentorum iterationem semper prohibuit.

2. Ex Conc. Florentino, in Decreto Eugenii citato, ubi id expressè traditur. Ex Conc. Trident. modò citato, idem quamvis non tam expressè, tamen sufficienter definiente, dum exponens Sacramenta quæ characterem imprimunt, sola illa tria recenset,

censet, addens idcirco ea iterari non posse. Ergo cùm alia quatuor iterari possint, ut fide constat, non imprimunt characterem.

Ratio est, quia hæc sola tria Sacramenta hominem constituunt in statu de se perpetuo. Præterea alia causa, cur hæc sola tria iterari non possint, assignari nequit, nisi quia propter gratiam sanctificantem conferunt characterem indelebilem, & sic semel accepta semper manent in aliquo suo effectu, unde frustra iterarentur. Alia verò iterari possunt, quia causant tantum gratiam, quæ amitti potest, & sæpe amittitur: unde sæpe contingit, ut illa Sacramenta neque in se, neque in effectu maneant: quare Christus convenientissimè voluit ut iterari possent.

Dico 3. Character sacramentalis est signum quoddam spirituale & indelebile, impressum animæ. Est de fide, nam expresse traditur à Conc. Trident. suprà citato.

Hoc autem signum non est purum signum, nam est aptitudo ad aliquid spirituale. Sic character Baptismi est aptitudo ad suscipienda omnia alia Sacramenta. Character Confimationis est aptitudo ad fidem propugnandam: Character Ordinis est aptitudo ad obeunda sacra ministeria. Quare character sacramentalis est quædam confi-

guratio seu similitudo cum Christo: nam aptitudo illa spiritualis est participatio quædam excellentiæ Christi ut Summi Sacerdotis, vel ducis supremi militiæ christianæ, cum autem homo per characterem sacramentalem speciali quodam modo configuretur & assimiletur Christo, etiam per hunc characterem distinguitur ab omni alio, qui charactere sacramentali caret.

Tres sunt igitur effectus formales characteris sacramentalis, nimirùm facere aptum, configurare Christo, & distinguere. Effectus autem formalis est id, quod res aliqua præstat per meram sui communicationem subjecto, non per ullam actionem productivam à se manantem.

Cæterùm character Sacramentalis spectat ad prædicamentum qualitatis, ut docent communiter Theologi cùm S. Thoma.

Dico 4. Character sacramentalis est indelebilis pro tota hac via. Est de fide. Nam hoc ad minimum definit Concil. Tridentin. & ante illud docuit Florentinum. Et utraque Synodus ex Characteris indelebilitate infert Sacramenta illum imprimentia iterari non posse: quod certè male inferretur, si character deleri posset in hac vitæ.

Imò probabilius est characterem esse etiam

am indelibilem respectu alterius vitæ & in perpetuum; tum quia eadem Concilia simpliciter asserunt eum esse indelibilem; túm quia ipse & anima, quæ est ejus subjectum, sunt ex natura sua incorruptibilia; neque enim character contrarium habet per quod destruatur aut exigat destrui. Igitur character post mortem manet, in beatis quidem ad gloriam, in reprobis verò ad ignominiam. Ita docet S. Thomas, 3. p. q. 63. a. 5. ad 3. his verbis: *post hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignonimiam. Sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam; & in his qui vicerunt ad gloriam, & in his qui sunt victi ad pœnam.*

CAPUT III.

De Ministro Sacramentorum.

Quinam sint Ministri Sacramentorum?

Nota 1. DUplex est Sacramentorum Minister, nempe primarius & secundarius. Minister primarius & principalis est ille, qui Sacramenta instituit, ut ejus nomine fierent, & per cujus solius merita operantur: talis est solus Christus, ut homo.

mò. Minister secundarius, de quo solo hìc agitur, est ille, qui sub Christo & ejus nomine potest validè conficere Sacramentum: sive est idoneus effector Sacramenti.

Nota. 2. Lutherus, in libro de Missa privata, docet etiam Angelos tùm bonos tùm malos habere potestatem conficiendi Sacramenta. Calvinus verò contendit solos christianos ad ministerium legitimè vocatos, hanc potestatem habere, ita ut ne in necessitate quidem feminæ baptizare possint.

Dico 1. Soli homines viatores ratione utentes possuntt esse Ministri Sacramentorum secundum legem Dei ordinariam & sine dispensatione Dei.

Prob. Illi soli possunt esse Ministri Sacramentorum, secundum legem Dei ordinariam, quos Chistus ad hoc munus designavit: nam nemo ex propria sua auctoritate potest validè agere nomine Christi, & fieri ejus instrumentum. At Christus ad hoc munus designavit solos homines viatores ratione utentes: nam illis solis dixit, Matth. cap. 28 *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Luc. c. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Joann. cap. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* Jac. c. 5. *inducat præsbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, &c.*

Ratio

Ratio congruentiæ eſt, quia ipſe primarius Sacramentorum Miniſter homo erat; & illi, quibus adminiſtranda ſunt, homines ſunt.

Hic 1. Angelus bonus nullum poteſt efficere Sacramentum niſi de lege extraordinaria, ſive ex ſpeciali deputatione & diſpenſatione Dei. Idem dic de anima ſeparata, non tamen de anima redeunte ad corpus mortale & ad ſtatum viatoris.

2. A fortiori malus Angelus hac poteſtate caret, cui etiam certum eſt eam nunquam à Deo conceſſum iri ex ſpeciali diſpenſatione. Unde ſi Diabolus baptizaret, nullus eſſet Baptiſmus. Secus; ſi bonus Angelus baptizaret. Nam id faceret ex diſpenſatione & extraordinaria deputatione Dei, & ſic valeret Baptiſmus. Hoc docet S. Thomas, 3. p. q. 64. art. 7. his verbis; *ſicut Deus virtutem ſuam non alligavit Sacramentis quin poſſit ſine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre: ita etiam virtutem ſuam non alligavit Eccleſiæ Miniſtris, quin etiam Angelis poſſit virtutem attribuere miniſtrandi in Sacramentis. Et quia boni Angeli ſunt nuncii veritatis, ſi aliquod Sacramentale miniſterium à bonis Angelis perficeretur, eſſet ratum habendum: quia deberet conſtare hoc fieri voluntate divina.*

3.

3. Infantes & perpetuò amentes non possunt validè conficere ullum Sacramentum, cùm careant usu rationis, & insuper habere non possint debitam intentionem.

Obj. 1. Membra Diaboli, nempe peccatores, possunt validè conficere Sacramenta: ergo & Diabolus ipse.

Resp. Disting. anteced. Possunt conficere Sacramenta, quatenus sunt Ministri Christi, *con. ant.* quatenus sunt membra Diaboli, *nego ant. & consq.* Mali autem homines sunt Ministri Christi, quatenus sunt homines viatores, qui à Christo acceperunt potestatem conficiendi & administrandi Sacramenta.

Obj. 2. Nicephorus, lib. 11. hist c. 22. scribit S. Amphilochium fuisse ab Angelis ordinatum Episcopum, hancque ordinationem ratam à cæteris Episcopis habitam fuisse. Ergo boni Angeli possunt esse Ministri Sacramentorum.

Resp. Possunt esse, sed ex dispensatione & extraordinaria deputatione Dei non verò secundùm ordinariam Dei legem.

Dico 2. Non omnes & singuli homines viatores & ratione utentes, sunt Ministri omnium Sacramentorum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Concil. Trid. sess. 7. can. 10. *Si quis dixerit christianos omnes in verbo &*

omnibus

omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit.

2. Quia re vera Laici non poſſunt eſſe Miniſtri quinque Sacramentorum, ſcilicet Confirmationis, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, Externæ-unctionis, & Ordinis, ut ſuis locis probabitur.

Obj. 1. Quilibet homo etiam Laicus poteſt adminiſtrare Baptiſmum, ergo & çætera Sacramenta.

Reſp. Nego conſeq. Quia Chriſtus unum non aliud voluit, eò quòd Baptiſmus ſit Sacramentum omnibus & magis neceſſarium quam cætera. Unde illius Miniſtrum limitare noluit.

Inſt. Matrimonium non eſt magis neceſſarium quam cætera Sacramenta, & tamen quilibet homo baptizatus poteſt illud adminiſtaare, niſi aliunde impediatur.

Reſp. Specialis eſt ratio de Matrimonio, quia nempe Chriſtus Matrimonii contractum ad Sacramentum evexit: qui contractus cum à quolibet baptizato fieri poſſit, niſi aliunde impediatur, ideo hoc Sacramentum à quolibet baptizato ad generandum, habili & ab omnibus impedimentis libero, adminiſtrari poteſt.

Obj. 2. Omnes homines baptizati, ſunt Sacerdotes, juxta illud 1. Petri, c. 2. *vos*

genus

gonus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, &c. Ergò omnes ſunt Miniſtri omnium Sacramentorum.

Reſp. Diſting. anteced. Omnes ſunt Sacerdotes impropriè dicti, *conc. ant.* propriè ac ſtrictè dicti, *nego antec. & conſeq.* Ibi Scriptura per regale Sacerdotium intelligit ſacerdotium ſpirituale & metaphoricum, conſiſtens in poteſtate offerendi Deo ſacrificia ſpiritualia, nempe bona opera, laudes, & preces. At præter hoc Sacerdotium, eſt aliud propriè dictum, dans poteſtatem offerendi ſacrificium propriè dictum, & miniſtrandi populis Sacramenta, quod quidem ſacerdotium non omnibus Chriſtianis convenit.

CAPUT IV.

De ſubiecto Sacramentorum.

SUbjectum Sacramenti eſt ille, qui recipit Sacramentum, cujus eſt capax.

Quinam ſint capaces recipiendi Sacramenti?

DIco 1. Soli homines viatores ſunt capaces recipiendi Sacramenta.

Prob. Quia Sacramenta pro ſolis hominibus viatoribus inſtituta ſunt nam cùm Sacramenta inſtituta ſint ad dandam vel augendam

gendam gratiam, non sunt instituta nisi pro iis, qui sunt in eo statu, in quo gratiam & ejus augmentum recipere possunt. Sed soli homines viatores sunt in hoc statu. Ergo pro iis solis instituta sunt Sacramenta.

Dico 2. Omnis homo viator est capax trium Sacramentorum, nempe Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ, positis ponendis. At non omnis est capax omnium Sacramentorum: nam v g. homo sanus non est capax Extremæ-unctionis, nec Religiosus Matrimonii, nec mulier Ordinis.

Obj. Infans in utero matris est viator, & tamen in eo statu non est capax Sacramenti.

Resp. Talis infans est solùm viator coram Deo. At assertio nostra intelligi debet de viatoribus non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus, proindeque de hominibus natis. Nam antequam homo in lucem prodeat, non est hominibus sensibilis: ac proinde non est capax signi sensibilis, quod per Ministros Ecclesiæ visibilis modo sensibili, & subjecto sensibili immediatè applicari debet.



CA-

CANONES TRIDENTINI
Ex Seſſ: VII.

SI quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a JESU Chriſto, Domino Noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora quam ſeptem, videlicet: Baptiſmum, confirmationem, Euchariſtiam, Pænitentiam, Extremam unctionem, ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem, non eſſe verè, & propriè Sacramentum; anathema ſit. *Can.* 1.

Si quis dixerit ea ipſa novæ legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia ceremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi, anathema ſit. *Can.* 2.

Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria; ut nulla ratione aliud ſit alio dignius; anathema ſit. *Can* 3.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua; & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam juſtificationis adipiſci; licet omnia neceſſaria non ſint: anathema ſit. *Can.* 4.

Si quis dixerit, hæc Sacramenta pro-

pter

pter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſet; anathema ſit *Can.* 5.

Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant; aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ vel juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit *Can.* 6.

Si quis dixerit, non dari gratiam per hujus modi Sacramenta ſemper, & omnibus quantum eſt ex parte DEI, etiamſi rite ea ſuſcipiant, ſed, aliquando, & aliquibus; anathema ſit *Can.* 7.

Si quis dixerit, per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem Divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere; anathema ſit. *Can.* 8.

Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, confirmatione, & ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſp rituale, & indelebile unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit. *Can.* 9.

Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem; anathena ſit. *Can.* 10.

Si

Si quis dixerit, in Ministris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit. *Can.* 11.

Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema sit. *Can.* 12.

Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consvetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumq; Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit. *Can.* 13.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

NOn est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis. *Innoc. XI.* 2. *Mart.* 1679.

Urgens metus gravis, est causa justa, Sacramentorum administrationem simulandi. *Innoc. XI.* 2. *Mart.* 1679.

EX

EX TRACTATU DE SACRAMENTO BAPTISMI.

NEmo dubitat quin Baptismus sit Sacramentum. Nam in Scriptura traduntur illius ritus externus, institutio, ac mandatum, & gratiæ promissio, ipsi annexa 1. Quidem ritus externus, Ephes. cap. 5. *mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

2. Institutio & mandatum, Joann. c 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritusancto, non potest introire in regnum Dei.*

3. romissio gratiæ ipsi annexa, Marc. c. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit. salvus erit.*

Videtur autem Christus Baptismum suum ante mortem suam instituisse.

CAPUT I.

De Essentia Baptismi.

ARTICULUS I.

Quid sit Baptismus?

DIco. Baptismus est Sacramentum regenerationis per aqum in verbo vitæ. Ita Catechismus Romanus.

Prob.

Prob. Quia hæc definitio rectè explicat naturam Baptiſmi, ut ſola expoſitione patebit. Nam 1. Sacramentum eſt genus, per hoc enim convenit cum aliis Sacramentis 2. Nomen *regenerationis* ſupple ſpiritualis continet differentiam: nam per hoc differt Baptiſmus à cæteris Sacramentis, quód hominem ſpiritualiter regeneret. 3. Cæteræ voces explicant per quid fiat iſta generatio, & per illas ſignificantur materia & forma Baptiſmi. Per verbum vitæ intelligitur certa verborum formula à Chriſto præſcripta, vim habens animam vivificandi.

Baptiſmus autem dicitur regenerare, quia dat primam vitam ſpiritualem ac ſupernaturalem iis, qui naturalem acceperunt Nam regenerare eſt quaſi ſecundò generare, vitæ naturali ſpiritualem ſeu ſupernaturalem ſuperaddendo. Quare ſolus Baptiſmus regenerat, non aliud Sacramentum, ne Pœnitentia quidem. Nam hæc non dat primam vitam ſpiritualem, ſed eam poſt Baptiſmum per peccatum mortale amiſſam reſtituit: unde eſt Sacramentum ad ſuſcitationem ſpiritualem, non verò ad regenerationem inſtitutum.

ARTICULUS II.
Quænam sit materia Baptismi?

Nota. DUplex est materia Baptismi; nempe remota, quæ est elementum, & proxima quæ est remotæ applicatio. Circa materiam remotam plures extitere errores 1. Seleuciani propter hæc verba Matthæi, c. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu-sancto & igni*, male intellecta, adhibebant Bapitismum in igne, non in aqua 2. Jacobitæ ob eadem verba malè intellecta, loco aquæ, crucem parvulorum frontibus ferro candenti imprimebant. 3. Paulitiani, loco aquæ, adhibebant hæc verba: *Ego sum aqua viva.* 4. Demum Lutherus docuit materiam validam Baptismi esse id omne, quod balneo inservire potest, ideoque valere Baptismum in vino & lacte.

Dico 1. Materia remota Baptismi est aqua vera naturalis seu elementaris. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joann. c. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Act. cap. 10. *Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt,*

ſicut & nos? & juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti.

2. Ex Traditione Patrum & perpetua Eccleſiæ praxi.

3. Ex Conc. Lateran. IV. c. 1. Florent. in Decreto pro Armenis, & ex Trident. ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſmo: *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi; atque ideo verba illa Domini noſtri Jeſu Chriſti: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit.*

Ratio à priori eſt voluntas Chriſti. Ratio convenientiæ eſt, quia aqua vera & naturalis eſt aptiſſima tùm ad effectus Baptiſmi repræſentandos, tum ad Sacramentum omnibus neceſſarium conficiendum, cum ſit communiſſima, illiuſque uſus facillimus.

Obj. 1. Joannes Baptiſta, Math. cap. 3. de Chriſto ait: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu-ſancto & igni.* Ergo ignis eſt materia Baptiſmi Chriſti.

Reſp. Nego conſeq. Nam per ignem ibi intelligitur charitas ardens, quæ diffunditur in cordibus per Spiritum-ſanctum. Ibi autem Baptiſmus Joannis Baptiſmo Chriſti opponitur, non quòd Baptiſmus Chriſti non fiat ex aqua, ſed quia fit ex aqua

fœcun-

fœcundata per virtutem Spiritus-ſancti, & mundante animam, cum Baptiſmus Joannis fieret ex aqua ſterili, nullam vim ſpiritualem habente, & cujus applicatio nihil efficeret ex opere operato.

Obj. 2. Illud 1. Joann. c. 5. *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem, non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine.*

Reſp. Ibi agitur, non de Baptiſmo Chriſti, ſed de ipſo Chriſto cruci affixo, & ſalutem noſtram conſummante, è cujus latere fluxit aqua & ſanguis.

Obj. 3. Stephanus Papa II. vel (ut alii volunt) Siricius docuit in neceſſitate valere Baptiſmum in vino, nam in ſuis reſponſis ad Monachos Monaſterii Britannici ſic ait: *Si vino quis propterea quod aquam non inveniebat omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adſcribitur culpa. (Infantes ſic permaneant in ipſo Baptiſmo.) Nam ſi præſens affuit aqua, ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ ſubmittatur, quia contra Canonum ſententiam agere præſumpſit.*

Reſp. Hoc reſponſum totum ſuppoſititium eſt. Nam non extat apud Scriptores contemporaneos, nec in collectionibus Canonum Eccleſiæ Romanæ & Gallicanæ. Tres verò codices, qui illud referunt,

alii illud tribuunt Siricio, alii Stephano II. vel III. alii Stephano Tornacensi: vel certe adulteratum est responsum illud: nam Pontifex solum respondit Presbyteri actionem, de qua solum interrogatus fuerat, excusari à culpa & pœna propter bonam ejus fidem: hæc verò verba contenta parenthesi (*infantes sic permaneant in ipso Baptismo*) fuerunt ab imperitis intrusa, vel saltem culpa Librariorum mendum irrepsit.

Obj. 4. Marco Aurelio imperante, Judæus quidam, cùm de vita periclitaretur, fuit arena in eum conjecta baptizatus in defectum aquæ, & per miraculum repentè convaluit. Ergo in necessitate potest adhiberi quidlibet aliud quam aqua.

Resp. Nego conseq. Quia miraculum illud (si verum est) à Deo patrâtum est in Judæo illo propter ejus fidem & conversionem, non verò ad probandam hujus Baptismi validitatem. Et verò, teste Nicephoro hanc historiam referente, cum res ad Dionysium Alexandrinum delata esset, ipse de ea consuluit Ecclesiam suam, *cui visum est aqua insuper* (Judæum) *ad eum modum initiatum, juxta Ecclesiæ Traditionem ablûendum esse.*

Dico 2. Materia proxima Baptismi est exterior corporis ablutio, seu applicatio

aquæ

aquæ ſucceſſiva & immediata ad corpus baptizandi. Ita omnes.

Prob. 1. Ex Scriptura. Math. cap. ult. *baptizantes eos*, quibus verbis materia proxima ſignificatur. Baptizare autem eſt abluere. Et ad Epheſ. c. 5. *mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* In quæ verba ſic habet S. Auguſtinus, tract. 15. in Joann. *Quid eſt Baptiſmus? Lavacrum aquæ in verbo.*

2. Ex verbis formæ (*ego te baptizo*) quæ ablutionem ſignificant.

3. Ex ſenſu & praxi Eccleſiæ, quæ Baptiſmum ſemper contulit per ablutionem.

Hæc autem ablutio dicit contactum immediatum & ſucceſſivum aquæ per Miniſtrum Baptiſmi applicatæ ad corpus, quæ ſucceſſio oriatur ex motu locali aquæ ſupra corpus, vel corporis ſupra aquam.

Hinc valet Baptiſmus, ſive fiat per immerſionem in aquam, ſive per aſperſionem ſeu effuſionem aquæ: nam tunc ſit vera ablutio.

ARTICULUS III.

Quænam ſit forma Baptiſmi?

DIco Forma Baptiſmi apud Latinos hæc eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris*



& Filii & Spiritus-sancti. Patet ex Sacramentario S. Gregorii, ex Conc. Florent. in Decreto Eugenii, & ex Rituali Romano. Hanc autem formam sufficere constat tum ex his Christi verbis; *baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti*; tum ex Traditione & perpetua praxi Ecclesiæ, tùm ex Conc. Trident. sess. 7. can. 3. de Baptismo: *Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam; anathema sit.*

Baptismi verò forma apud Græcos hæc est: *Baptizatur servus Dei N. seu serva Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Ita Arcudius, qui l. 1. de Concord. cap. 8. hanc esse Græcorum formam ex Euchologio multisque testimoniis ostendit contra Latinos, falsò putantes Græcos dicere, *baptizetur servus &c.* Igitur Græcorum forma eadem est quo ad sensum, quæ apud Latinos. Quare Concil. Florent. declarat per formam Græcorum verum perfici Baptisma.

Nota. In Latinorum forma quatuor exprimuntur: 1. Actualis ablutio. 2. Persona Ministri, sive illa ablutio ut procedens à Ministro. 3. Persona baptizandi.

4. Diſtincta Perſonarum Trinitatis in una eſſentia invocatio.

CAPUT II.

De proprietatibus Baptiſmi.

DUÆ ſunt Baptiſmi proprietates, nempe unitas, & neceſſitas.

ARTICULUS I.
Utrùm Baptiſmus iterari poſſit?

Nota. EX dictis patet Baptiſmum eſſe ſpecie unicum, cùm una eademque ſit in omni Baptiſmo materia, forma, & ſignificatio. Quæritur utrum ſit etiam numero unicus in eadem ſcilicet perſona, hoc eſt, utrum iterari poſſit in eadem perſona jam validè baptizata.

Dico. Baptiſmus validus iterari non poteſt. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Epheſ. c. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma.* Unum autem tum ſpecie, tum numero reſpectu ejuſdem ſubjecti, ut exponunt Patres.

2. Ex

2. Ex perpetua Ecclesiæ Traditione, & praxi, atque consensu Patrum.

3. Ex Symbolo Constantinopolitano. *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

4. Ex Conc. Vienn. cap. 1. & Trident. sess. 7. can. 9. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima ... unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Idem docet Conc. Florent. in decreto de Sacramentis.

Ratio est institutio Christi, qui regenerationem spiritualem unicam esse voluit, sicut unica est generatio carnalis.

ARTICULUS II.

Utrum Baptismus sit omnibus necessarius ad salutem.

Nota. 1. DUplex est necessitas, nempe præcepti & medii. Illud est necessarium necessitate præcepti ad salutem, quod graviter præceptum est, & quo proinde culpabiliter omisso salus obtineri nequit, nisi hæc omissio per pœnitentiam remittatur; sed ejus omissio inculpabilis salutem non impedit. Illud est necessarium necessitate medii, quod est medium

ad

ad ſalutem conſequendam neceſſarium. Aliquid autem poteſt eſſe neceſſarium neceſſitate medii, vel in re, vel ſaltem in voto. Illud eſt neceſſarium in re neceſſitáte medii, quod ſecundum ſe neceſſariò adhiberi debet ad ſalutem conſequendam, ita ut nihil ſit quod ejus vicem ſuppleat: talis eſt gratia ſanctificans reſpectu omnium. Illud eſt neceſſarium neceſſitate medii ſaltem in voto, quod neceſſario debet adhiberi vel ſecundum ſe, vel in ejus defectum ſecundum aliquid ejus deſiderium continens, & ejus vicem tenens propter ſuam quamdam eminentiam, quod tamen ſalutem non confert niſi intuitu illius cujus vicem tenet, & cujus votum ſeu deſiderium vel explicitum vel ſaltem implicitum continet.

Nota. 2. Baptiſmus in voto eſt deſiderium illius ſaltem implicitum vel virtuale, contentum in actu contritionis perfectæ, vel in actu amoris Dei ſuper omnia propter ſe; & uterque dicitur Baptiſmus flaminis. Martyrium verò vocatur Baptiſmus ſanguinis; & Baptiſmi fluminis ſeu aquæ vicem ſupplet in ordine ad remiſſionem peccatorum etiam quoad reatum omnem pœnæ.

Nota. 3. Multi circa neceſſitatem Baptiſmi

ptiſmi parvulorum errarunt. Nam 1. Pelagiani peccatum originale negantes, conſequenter aſſeruere Baptiſmum non eſſe neceſſarium infantibus ad alicujus peccati remiſſionem, nec ad vitam æternam conſequendam, ſed ſolum ad aſſecutionem Regni Cœlorum, quod contra Scripturam diſtinguebant à vita æterna. 2. VVicleffus, Zuinglius, Bucerus negarunt Baptiſmum eſſe neceſſarium ad remiſſionem peccati originalis & ad aſſecutionem Regni Cœlorum, imò inutilem eſſe infantibus. 3. Calvinus docuit Baptiſmum minimè neceſſarium eſſe fidelium infantibus, eo quòd ab utero materno in Filios Dei adoptentur, & non imputetur illis peccatum originale. 4. Cajetanus ſenſit parvulos adhuc in materno utero incluſos poſſe in neceſſitate juſtificari & ſalvari per Baptiſmum in voto parentum, præſertim ſigno aliquo exterius manifeſtato. Quam opinionem S. Pius V. ut intolerandam expungi juſſit in nova editione Romana.

Dico. 1. Extra caſum martyrii Baptiſmus eſt omnibus ad ſalutem neceſſarius in re vel in voto. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joann. c. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quæ verba

verba generalia sunt, & neminem excipiunt, atque necessitatem medii clare exprimunt.

2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Augustinus, lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, c. 18. ubi ait: *Quis Christianorum ferat, cum dicitur ad æternam salutem posse quemquam pervenire, si non renascatur in Christo, per Baptismum fieri voluit.*

3. Ex Concil. Florentin. in decreto pro Armenis: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est. Per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua & Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum cœlorum introire.*

4. Ex Conc. Trident. sess. 7. can. 5. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit.* Et sess. 6. cap. 4. declarat primam justificationem, post Evangelium promulgatum, *sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non posse, sicut scriptum est: nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, non potest introire in regnum* Dei.

Ratio est, quia cum omnes in peccato

cato originali naſcantur, nemo ſalutem conſequi poteſt ſine medio, quo ab eo liberetur & juſtificetur. Medium autem illud eſt Baptiſmus, ut conſtat ex ejus notione:

Hinc Baptiſmus eſt etiam omnibus adultis neceſſarius neceſſitate præcepti. Nam quilibet adultus Baptiſmum ſuſcipere tenetur tum ex præcepto charitatis, quo quiſque tenetur adhibere omnia media ad ſalutem neceſſaria: tum ex præcepto divino poſitivo, quo quilibet homo tenetur Eccleſiam ingredi per Baptiſmum, qui eſt ejus janua, & fidem ſuam profiteri.

Dico 2. Extra martyrium Baptiſmus in re parvulis neceſſarius eſt ad ſalutem neceſſitate medii.

Prob. 1. Quia extra martyrium Baptiſmus eſt omnibus ſine exceptione & diſtinctione ad ſalutem neceſſarius in re vel in voto, ut fide conſtat ex 1. aſſertione. Ergo eſt neceſſarius in re infantibus, quippe qui capaces non ſunt Baptiſmi in voto, nempe actus charitatis perfectæ.

2. Ex perpetua Traditione & praxi Eccleſiæ.

3. Ex conſenſu Patrum. Pro omnibus ſit S. Auguſtinus, Epiſt. 28. ad Hieron.

ron. ubi ait: *Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt; hic profecto & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omninò non posse.* Et l. 3. de anima & ejus origine, c. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere infantes antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum si vis esse Catholicus.*

4. Ex Conciliis, scilicet Carthaginensi II. & Milevitano, II. conra Pelagianos, in Epistola Synodica ad Innocentium I. sed præsertim ex Trident. sess. 5. can. 4. *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam . . . . anathema sit.*

Ratio est, quia parvuli omnes etiam fidelium inquinai sunt peccato originali, à quo liberari non possunt, nec proinde justificari & salvari nisi per applicationem redem-

redemptionis Christi: quæ redemptio non potest infantibus applicari nisi per Baptismum extra casum martyrii.

Obj. 1. Hæc verba Christi, Joann. c. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*: non spectant parvulos, nec sonant necessitatem medii. Ergo nec ista (*nisi quis renatus fuerit, &c.*) Hanc necessitatem exprimunt.

Resp. Nego conseq. 1. Quia Ecclesia & Traditio, per quam certò innotescit verus Scripturæ sensus priora verba de necessitate præcepti tantum, posteriora verò de necessitate medii semper intellexit & exposuit. 2. Quia verba Scripturæ pro materia subjecta explicari debent. Posterior autem textus agit de renascentia spirituali, quæ spectat omnes qui nascuntur peccatores, ideoque etiam infantes, & quæ est absolute necessaria ad salutem consequendam, & ad quam conferendam solus Baptismus institutus est. Prior verò textus agit de nutritione spirituali seu augmento & conservatione vitæ spiritualis jam per Baptismum acceptæ, quæ quidem per varia media haberi absolutè potest: ideoque Eucharistia non potest esse medium absolutè necessarium ad salutem, & consequenter non potest esse necessaria nisi necessi-

tate

tate præcepti cujus incapaces ſunt infantes.

Obj. 2. Illud Geneſ. c. 17. *Statuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te ..... ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.*

Reſp. Verba hæc litteraliter ſumpta continent tantùm promiſſionem ſpecialis protectionis ac gubernationis, & bonorum temporalium: & ſic ad ſolos Judæos ſpectant. Myſticè verò ſumpta continent promiſſionem remiſſionis peccatorum, & vitæ æternæ, ſed per media à Deo inſtituta, ideoque per Baptiſmum Chriſti nobis conferendæ.

Obj. 3. Illud 1. Cor. c. 7. *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filii veſtri immundi eſſent; nunc autem ſancti ſunt.*

Reſp. Apoſtolus hic per ſanctos intelligit legitimos, & immunes ab omni infamia civili: unde loquitur de ſanctitate impropriè dicta & civili. Nam probare vult Matrimonium fidelis cum infideli ante fidem contractum, eſſe legitimum, ex eo quòd liberi in tali matrimonio nati ſint ſancti, id eſt, legitimi & immunes ab omni

mni infamia civili. Per immundos verò intelliguntur illegitimi & infames.

Obj. 4. S. Augustinus docet infantem credere per alienum opus, sicut peccavit per alienum opus.

Resp. Solum vult infantem justificari per Sacramentum fidei seu Baptismum sibi fide aliena applicatum.

Obj. 5. Ergo innumeri infantes sine sua culpa peribunt.

Resp. Nego. Nam quamvis infantes illi sine sua culpa personali Baptismo priventur, non tamen pereunt sine sua culpa, cum sint peccato originali inquinati, quod est uniuscujusque moraliter proprium.

Præterea Deus ex sua misericordia media sufficientia eorum parentibus vel aliis suppeditaverat ex intentione ut parvulis illis Baptismum procurarent. Non tenetur autem defectum causarum secundarum impedire, & novum ordinem rerum instituere, ut Baptismus re ipsa illis conferatur.

ARTICULUS III.

Utrùm infantes baptizari possint?

Nota. ANabaptistæ docent Baptismum conferri non posse nisi adultis. Imò

Imò multi inter illos contenderunt adultos non esse baptizandos, nisi anno trigesimo, quâ ætate Christus baptizatus est. Hanc hæresim secuti sunt Sociniani, & ante hos omnes sæculo scilicet duodecimo docuerat Henricus quidam, negans licere infantes baptizare.

Dico. Infantes baptizari possunt validè & licitè. Est de fide.

Prob. 1. Ex Traditione Patrum. Pro omnibus sint sanctus Irenæus, lib. 2. cap. 39. *Omnes venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum infantes & parvulos, &c.* S. Heronymus, lib. 3. contra Pelag. *Si unum & in parvulis & in magis habetis baptisma, etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos .... Creditis.* S. Augustinus, l. 4. de Baptismo, c. 23. *Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem .... tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari.*

2. Ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ semper parvulos baptizavit. Quam consuetudinem ex Traditione Apostolica ortam esse docet S. Augustinus, l. 10. de Genesi ad litteram, c. 23. ubi ait: *Consuetu-*

do matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset Traditio.

3. Ex Conciliis Carthagin. scilicet sub S. Cypriano, Milevitano II. Viennensi generali; Clement. unica, de Smma Trinit. ubi de Baptismo dicitur: *Credimus esse tàm adultis quàm parvulis communiter perfectum remedium ad salutem.* Et Trident. sess. 5. can. 4. *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat .... anathema sit.* Et sess. 7. can. 13. *Si quis dixerit parvulos, eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit.*

Ratio est, quia infantes salvari possunt, etiamsi moriantur ante usum rationis, ut fide constat. Ergo etiam ante usum rationis justificari possunt: nemo enim salvatur, nisi decedat in statu justitiæ. Atqui extra casum martyrii justificari non possunt ante usum rationis, nisi per Baptismum. Ergo etiam ante usum rationis justificari possunt per Baptismum: ac

proinde

proinde ante uſum rationis capaces ſunt Baptiſmi.

Obj. 1. Nemo baptizari poteſt, niſi priùs inſtruatur & credat, juxta illud, Matth. c. ultim. *Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Et Marc. c. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Sed infantes non ſunt capaces inſtructionis & fidei, ergo nec Baptiſmi.

Reſp. Neg. maj. Nam in primo textu Chriſtus jubet ſolum inſtructionem præmitti Baptiſmo adultorum; ita tamen ut baptizari poſſint ii, qui non ſunt capaces inſtructionis, ut conſtat ex Traditione, quæ verum ſenſum Scripturæ continet. In ſecundo autem textu exprimitur tantùm neceſſitas credendi in adultis ad recipiendam gratiam ſanctificantem in Baptiſmo.

Obj. 2. Non extat in Scriptura præceptum de parvulorum Baptiſmo. Ergo illi non debent baptizari.

Reſp. 1. Nego conſeq. Nam non omnia à Deo revelata continentur in Scriptura; ſed præter Scripturam habemus Traditionem divinam, quæ tam eſt verbum Dei, quam Scriptura. Hæc autem Traditio docet baptizandos eſſe parvulos.

Resp. 2. Præceptum illud rectè colligitur ex textu Joann. c. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* cujus universalitas parvulos etiam comprehendit.

Obj. 3. Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 18. censet expectandum esse usum rationis ad Baptismum suscipiendum.

Resp. Non ideo negat validum esse Baptismum parvulorum, cùm docet eos in necessitate baptizandos esse. Sed solùm putat extra necessitatis casum magis expedire dilationem Baptismi usque ad adultam ætatem: in quo erravit, ut patet ex universa Ecclesiæ praxi, quæ semper infantes recens natos baptizari diligentissimè curavit, propter mortis periculum, quod in parvulis semper est timendum, ut observat S. Thomas, & ostendit experientia.

Obj. 4. S. Gregorius Nazianz. orat. in sanctum Baptisma censet expectandum esse saltem triennium ætatis, ut parvuli aliquo modo respondere possint.

Resp. Ei anteponi debet auctoritas aliorum Patrum, & praxis Ecclesiæ. Ipse verò Gregorius nihilominus sensit validum esse Baptismum parvulorum recens natorum, eosque baptizandos esse, cum immi-

net

net mortis periculum; nam loco citato ſic ait: *Quid autem de iis dices, qui adhuc tenera ætate ſunt, nec aut damnum aut gratiam ſentiunt? An eos quoque baptizabimus? Ita prorſus ſi quod periculum urgeat: præſtat enim ſine ſanctitatis ſenſu ſanctificari, quàm citra Baptiſmum, atque initiationem vitæ diſcedere.*

Obj. 5. Chriſtus anno ætatis trigeſimo baptizatus eſt. Ergo ſuſcipi non debet Baptiſmum ante adultam ætatem.

Reſp. Nego conſeq. Quia Baptiſmus, quem Chriſtus ſuſcepit, fuit actus humilitatis ac pietatis, non remedium peccati, à quo erat immunis. At Baptiſmus, quem Chriſtus inſtituit, eſt peccati remedium, cujus capaces ſunt infantes, & quod non poteſt citiùs recipi.

CANONES TRIDENTINI
DE BAPTISMO
ex Seſs. VII.

SI quis dixerit, Baptiſmum Joannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti; anathema ſit. *Can.* 1.

Si quis dixerit, aquam veram & naturalem, non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atq; ideo verba illa Domini noſtri Jeſu

Chriſti:

Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit. *Can.* 2.

Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum Mater est & Magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam; anathema sit. *Can.* 3.

Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit. *Can.* 4.

Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem; anathema sit. *Can.* 5.

Si quis dixerit, Baptisatum non posse etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcunq; peccet, nisi nolit credere; anathema sit. *Can.* 6.

Si quis dixerit baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; anathema sit. *Can.* 7.

Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus S. Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita, ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit. *Can.* 8.

Si

Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea, & fidei, quam professi sunt, detrahatur, & ipsi Baptismo; anathema sit. *Can.* 9.

Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, Sola recordatione & fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri; anathema sit. *Can.* 10.

Si quis dixerit, verum & rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur; anathema sit. *Can.* 11.

Si quis dixerit, neminem esse baptizandum nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit. *Can.* 12.

Si quis dixerit, parvulos eo, quod actum credendi non habent suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit. *Can.* 13.

Si quis dixerit, hujusmodi parvulos

baptizatos,

baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos esse: an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur polliciti, sunt: & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec aliâ interim pœnâ ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumq; Sacramentum perceptione arceantur, donec resipiscant; anath. sit. *Can.* 14.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

VAluit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris* prætermissis illis: ego te baptizo. *Alex. VIII.* 7. *Decembr.* 1690.

Valet baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamq; baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit; non intendo, quod facit Ecclesia. *Alex. VIII.* 7. *Decemb.* 1690.

In hominibus pænitentibus Sacramentum absolutionis, & in catechumenis ante Baptismum est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum. 43. *Baj.*

Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione propriè reatus peccati duntaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu. *Baj.* 75.

EX

EX TRACTATU
DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

QUÆSTIO UNICA

Utrùm Confirmatio sit verum Sacramentum?

Nota. CONFIRMATIONIS Sacramentum sic dictum est à primario suo effectu, qui est spiritualis corroboratio ad fidem intrepidè profitendam. Definitur, Sacramentum à Christo institutum quo baptizati corroborantur ad fidem firmiter tenendam, & fortiter profitendam.

Hoc Sacramentum negarunt Waldenses, Lutherus, & Calvinus.

Dico. Confirmatio est verum novæ legis Sacramentum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Act. cap. 8. *Cùm audissent Apostoli, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum-sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant*

Spiritum-sanctum. Quæ verba significant Apostolos per cæremoniam sacram à Baptismo distinctam, consistentem in impositione manuum & oratione seu certis verbis sacris, contulisse baptizatis Spiritum sanctum, quo nomine significatur non solum gratia gratis data, sed etiam potissimùm gratia sanctificans. Atqui omnis cæremonia sacra, qua confertur gratia sanctificans, est Sacramentum à Christo institutum. Ergo cæremonia illa ab Apostolis adhibita, est Sacramentum. Non est autem aliud quam Confirmationis Sacramentum. Ergo.

Prob. 2. Ex Traditione, cujus testes sunt Patres apud Bellarminum & alios. Pro omnibus sint Tertullianus, lib. de resurrectione carnis, cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Ubi significat praxim Ecclesiæ priorum sæculorum, qua post Baptismum statim conferebatur Confirmatio & Eucharistia; & ritui Confirmationis vim sanctificandi tribuit perinde ac Baptismo & Eucharistiæ.

S. Cyprianus

S. Cyprianus Epist. ad ubi postquam dixit Petrum Samaritanis baptizatis Spiritum-sanctum contulisse per manus impositionem & orationem, hæc subjicit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram* (Episcoporum) *orationem ac manus impositionem, Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.*

S. Ambrosius, lib. 3. de Sacramentis, c. 2. *Sequitur spiritale signaculum.... quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.*

Sanctus Hieronymus, in Dialogo contra Luciferianos: *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.*

S. Augustinus, l. 2. contra Literas Petiliani, c. 104. *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est sicut ipse Baptismus; sed potest esse & in hominibus pessimis .... discerne ergo visibile sanctum Sacramentum* (Chrismatis seu

seu Confirmationis,) *quod esse & in bonis & in malis potest, ab invisibili unctione charitatis, quæ propria bonorum est.*

Prob. 3. Ex perpetua praxi Ecclesiæ, quam testantur Patres citati & alii, atque summi Pontifices sanctissimi; ut Cornelius, Epistol. ad Fabian. Innocentius I. Epist. ad Decentium; Gregorius Magnus, l. 3. Epist. 9. ad Januar.

Prob. 4. Ex Conciliis, videlicet Eliberitano, anno 305. can. 38. Arelatensi I. ann. 314. Laodiceno, can. 7. Meldensi can. 44. Florent. in decreto pro Armenis, & Trident. sess. 7. can. 1. ubi ait: *Si quis dixerit confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum .... anathema sit.*

Obj. 1. In omni vero Sacramento tria requiruntur, nempe promissio gratiæ, ritus externus, & mandatum illum usurpandi. Sed hæc tria in Confirmatione non reperiuntur. Ergo Confirmatio non est Sacramentum.

Resp. Nego min. Nam ritus externus habetur, Act. c. 8. nempe impositio manuum cum oratione seu certis verbis sacris, & quidem gratiam conferens: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum-sanctum.* Ritus autem ille externus

nus conferre non poterat Spiritum ſanctum ſeu gratiam, niſi annexam habuiſſet gratiæ promiſſionem. Mandatum verò habetur in praxi Apoſtolorum: nam Apoſtoli ritum illum externum non adhibuiſſent, niſi illius adhibendi mandatum à Chriſto accepiſſent. Præterea tria hæc nobis ſufficienter innoteſcunt ex Traditione & praxi Eccleſiæ.

Obj. 2. S. Auguſtinus, l. 3. de Baptiſmo, c. 16. ait: *Manus autem impoſitio non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt. Quid eſt enim enim aliud: niſi oratio ſuper hominem?*

Reſp. Hic loquitur tantum de manuum impoſitione reconciliatoria, quæ olim hæreticis ad Eccleſiam revertentibus adhibebatur, & quæ erat mera cæremonia Eccleſiaſtica, non Sacramentum.

CANONES TRIDENTINI
DE CONFIRMATIONE
Ex Seſſ. VII.

SI quis dixerit Confirmationem Baptizatorum otioſam ceremoniam eſſe, & non potiùs verum, & proprium *Sacramentum*;

tum; aut olim nihil aliud fuiſſe, quam catecheſin quandam, qua addoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant; anathema ſit. *Can.* 1.

Si quis dixerit injurios eſſe Spiritui Sancto eos, qui ſacro Cenfirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt; anathema ſit. *Can.* 2.

Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem; anathema ſit. *Can.* 3.

EX TRACTATU DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ

EUCHARISTIA, ſecundùm vim nominis Græci, ſignificat bonam ſeu eximiam gratiam, & gratiarum actionem: tum quia continet Chriſtum, qui eſt & donorum omnium maximum & fons gratiarum omnium: tum quia in ea offertur Deo ſacrificium gratiarum actionis perfectiſſimæ. Dicitur etiam communio, quia cum Chriſto conjungit fideles à quibus ſuſcipitur, & fideles ipſos inter ſe conjungit,

jungit, atque unit. Euchariſtia autem eſt Sacramentum & ſimul Sacrificium, ut fide conſtat. Quare hic Tractatus in duas partes dividetur.

Euchariſtia ut Sacramentum eſt, communiter definitur: Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, ad ſpiritualem animæ refectionem à Chriſto inſtitutum.

CAPUT I.

De natura Sacramenti Euchariſtiæ.

SUppono Euchariſtiam eſſe verum Sacramentum novæ legis, ut fide conſtat.

1. Ex perpetua Eccleſiæ Traditione ut patebit ex dicendis.

2. Ex Conc. Tridentino, ſeſſ. 7. can. 1. ubi Euchariſtia inter Sacramenta novæ legis numeratur, & anathematizatur, qui dixerit aliquod horum ſeptem non eſſe verè ac propriè Sacramentum; ſic enim ait: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, &c.*

aut

aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit. Idem ante docuit Conc. Florent. in Decreto pro Armenis.

Ratio est, quia Eucharistiæ convenit definitio Sacramenti propriè dicti novæ legis: nam 1. est signum sacrum, sensibi-, à Christo institutum, nempe species panis & vini consecrati, ex Matth. cap. 26. *Accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, &c.* 2. Permanenter institutum, juxta illud Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* 3. Institutum ad significandam & dandam gratiam sanctificantem, & charitatem augendam ac conservandam. Nam corpus Christi existens sub speciebus panis significat refectionem spiritualem, & illam efficit, juxta illud Joann. c. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, &c.*

ARTICULUS I.

Utrùm Eucharistia consistat in re permanente?

Nota. Lutherani & Calvinistæ docent Eucharistiam consistere tantum in usu & actuali manducatione, ideoque in actione transeunte, non in re permanente; cum hoc tamen discrimine, quod Luthera-

Lutherani agnoſcant realem Chriſti præſentiam in ſumptione Euchariſtiæ; Calviniſtæ verò duntaxat ſpiritualem, & ſacramentalem. Kemnitius tamen cenſet corpus Chriſti præſens eſſe in omnibus actionibus, quæ in cœna peraguntur, nimirum benedictione, fractione, diſtributione manducatione, item cum immediatè poſt cœnam ad ægros defertur, & ab illis manducatur.

Dico. Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in re permanente. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex verbis, quibus Chriſtus inſtituit, & confecit Euchariſtiam: nam hæc verba, Matth. c. 26. *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* prolata ſunt à Chriſto, antequam Apoſtoli Euchariſtiam ſummerent, & vera fuerunt ſtatim atque prolata ſunt. Ergo ante actionem manducandi & bibendi, fuit verum corpus & verus ſanguis Chriſti, ideoque verum Sacramentum. Ergo Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in re, quæ uſum ſeu manducationem antecedit, & quæ cum actio non ſit, eſt aliquid permanens.

Prob. 2. Ex perpetua Traditione, & praxi Eccleſiæ ſervantis Euchariſtiam, & eam diſtribuentis diu poſt omnes actiones, quæ in cœna peraguntur. Cujus qui-

dem Traditionis teſtes ſunt Patres priorum ſæculorum.

Pro ſecundo ſæculo. S. Juſtinus Martyr, Apolog. 2. teſtatur, Euchariſtiam, peractis myſteriis, ad abſentes mitti ſolitam fuiſſe per Diaconos; & S. Irenæus, in Epiſt. ad Victorem Papam apud Euſebium, l. 5. Hiſt. c. 24. ſcribit deceſſores ejus Summos Pontifices Euchariſtiam ad Epiſcopos Paſcha Luna quatuordecima celebrantes miſiſſe in ſignum pacis & communionis..

Pro tertio ſæculo. Tertullianus, l. 2. ad uxorem; & Cyprianus, ſerm. de lapſis, teſtantur, fideles ſuo tempore conſueviſſe Euchariſtiam in domos ſuas deferre, ut eam oportuno tempore ſumerent. Item Dionyſius Alexandrinus, in Epiſt. ad Fabianum Summum Pontificem apud Euſebium, l. 6. Hiſt. c. 44. narrat à Sacerdote ægrotante per pûerum miſſam eſſe particulam Euchariſtiæ ad Serapionem quemdam ſenem morti proximum.

Pro quarto ſæculo. S. Baſilius, Epiſt. ad Cæſariam Patritiam ſcribit Anachoretas, qui ſæpius in Eccleſiam venire non poterant, conſueviſſe Euchariſtiam ſecum in eremum deferre, ut ibi ſumerent. Sanctus Gregorius Nazianz. orat. 11. narrat

ſororem

sororem suam Gorgoniam, magna fide de nocte procumbentem coram Eucharistia apud se recondita in altari, statim fuisse à morbo liberatam. Et S. Ambrosius, orat. de obitu fratris sui Satyri; refert eum per Eucharistiam, quam ad collum suum suspenderat, naufragii periculum evasisse; ibi enim de illo sic ait: *In naufragio constitutus ... non mortem metuens, sed ne vacuus mysterii exiret è vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium Sacramentum poposcit ... & Eucharistiæ particulam ab illis acceptam ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare ... nec deseruit spes, nec fefellit opinio. Denique primus servatus ex undis ... Dei Ecclesiam requisivit, ut ageret gratias liberatus, &c.*

Ex hac praxi patet antiquam Ecclesiam credidisse corpus & sanguinem Christi sub speciebus consecratis manere extra usum seu manducationem & totam actionem cœnæ, ideoque Eucharistiam non in actione transeunte, sed in re permanente consistere.

Prob. 3. Ex Conciliis generalibus. Nam 1. Conc. Nicænum I. can. 13. jubet, ut cuilibet in extremis posito & Eucharistiam petenti, communio concedatur,

probatis ejus dispositionibus; *In Summa autem*, inquit, *de quolibet excedente, & Eucharistiæ participationem petente, cum examinatione oblationem impertiat*. Quod semper in Ecclesia observatum fuit. Certum est autem non potuisse quovis tempore ægrotis Eucharistiam ministrari, nisi ea asservaretur in Ecclesia, cum actio cœnæ non fieret in singulis ægrotantium cubiculis. 2. Ex Concilio Lateranensi IV. cap. 20. in quo dicitur; *Statuimus, ut in singulis Ecclesiis Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia, clavibus adhibitis, conserventur: ne possit ad illa temeraria manus extendi*. 3. Ex Conc. Trident. sess. 13. cap. 3. ubi ait: *quod reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur. At in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est .... & semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie una cum ipsius anima & divinitate existere*. Et can. 4. sic habet: *Si quis dixerit, peracta conconsecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus & sanguinem* Domi*ni nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur; non autem ante vel post, & in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem*

munionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit.

Observa 1. Cum dicitur Math. c. 26. *Accepit Jesus panem & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: accipite & comedite, hoc est corpus meum &c.* Non debet series, & ordo verborum spectari, ut advertit Bellarminus, quia hic ordo sæpe mutatur ab Evangelistis, id quod prius factum est narrando posterius, & e contra; ut patet Marc. 14. ubi dicitur: *& accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: hic est sanguis meus novi Testamenti.* Certè si solus ordo verborum spectetur colligitur Corpus, & sanguinem Christi esse non in usu sed post usum. Itaq; attendi debet sensus verborum, ex quo apertè colligi datur, verba: *hoc est corpus meum &c.* prius à Christo prolata quam illis porrigeret Sacramentum, nam verba illa continent motivum, & invitationem comedendi, & bibendi.

Observa 2. Hesichius l. 2. in Levit. c. 8. dicit morem Ecclesiæ esse comburendi, id, quod ex Eucharistiæ Sacramento super est, sed ibidem excipit particulas Eucharistiæ in Sacrario asservari solitas etiam per multos dies; asservabantur autem præsertim

sertim pro communione infirmorum. Niceph. vero cum dicit morem esse in Ecclesia Græca, ut reliquiæ Eucharistiæ darentur pueris innocentibus absumendæ quod intelligitur de reliquiis, quæ superabundabant, & supponitur hostias de novo consecratas asservari pro infirmis; quare ista reliquiarum manducatio non fiebat quotidie sed solum feria quarta, vel sexta quando scilicet renovabatur Sacramentum in pixide, quod etiam statuit Concil. Matisconense II. can. 6. anno 585. celebratum. Humbertus vero Cardinalis lib. contra Nicetam reprehendit Græcos quod Eucharistiam asservaverint nempe illos tantum qui Missam celebrabant per quadragesimam pane die Sabbati, vel Dominica consecrato.

Observa 3. Prioribus Ecclesiæ sæculis, fideles in Ecclesia à Sacerdotibus Eucharistiam accipiebant manu dextra concava. Eucharistiæ autem sic acceptæ partem aliquam reservabant, & in domos suas deferebant, ut eam opportuno tempore privatim sumerent. Quod postea propter profanationis periculum ab Ecclesia prohibitum est.

CAPUT

CAPUT II.

De præsentia reali Christi in Eucharistia.

ARTICULUS I.

Utrùm in Sacramento Eucharistiæ verè & realiter contineatur corpus & sanguis Christi?

Nota. REalem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia negarunt 1. Joannes Erigena natione Scotus, vulgo dictus Joanes Scotus sæculo nono, qui primus verba Christi ad sensum metaphoricum detorsit. 2. Berengarius, Andegavensis Ecclesiæ Archidiaconus circa annum 1050. qui hanc hæresim ex lectione libri à Joanne Scoto scripti haustam retractavit in Concil. Romano. 3. Petrus Bruis & Henricus quidam duodecimo sæculo. 4. Sæculo XIII. Colonienses dicti Apostolici, & Albigenses, omnes Manichæismi erroribus irretiti. 5. Sæculo XIV. auctor sectæ flagellantium, & Wicleffus. 6. Denique sæculo XVI. Carolstadius Archidiaconus Wirtembergensis, Zuinglius Tigurinus Pastor,

Oecolam

Oecolampadius ex Monacho Birgittano Apoſtata, & Joannes Calvinus.

§. I.

Dico. In Sacramento Euchariſtiæ verè, realiter, & ſubſtantialiter continetur corpus & ſanguis Chriſti. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex cap. 6. Joannis, ubi Chriſtus promittit daturum ſuam carnem in cibum, & ſuum ſanguinem in potum verè ac realiter ſumendum. Nam ibi ſic ait: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita .... Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam .... Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Quibus verbis Chriſtus promittit carnem ſuam ut manducandam, & ſanguinem ſuum ut bibendum, non ſub propriis ſpeciebus: nam caro & ſanguis Chriſti ſub propriis ſpeciebus non poſſunt habere rationem cibi & potus. Igitur Chriſtus promittit carnem ut manducandam ſub ſpecie alimenti corporalis, nempe panis, & ſangui-

sanguinem potandum sub specie liquoris confortantis, nempe vini.

Quòd autem hæc Christi verba accipi debeant in sensu proprio, constat 1. Quia nulla est necessitas illa accipiendi in sensu metaphorico 2. Quia cùm Judæi litigarunt inter se, existimantes Christum locutum esse de reali manducatione suæ carnis, juxta illud: *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Christus hanc cogitationem non evellit, sed confirmat realem ac propriam manducationem carnis suæ: *Amen, amen dico vobis*, inquit, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, &c.* Item ipsis discipulis scandalum patientibus, ac murmurantibus eò quòd putarent Christum loqui non solùm de carne sua propriè & realiter manducanda, sed etiam comedenda more communi & carnali, in frusta scilicet divisa, juxta illud: *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt: durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Christus confirmat se daturum suam carnem propriè & realiter manducandam, licet non communi modo, confirmat, inquam, miraculo suæ Ascensionis: *Hoc vos scanda-*

scandalizat, inquit, *si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* & corrigit solum opinionem illorum de modo illo carnali ac communi edendi carnem suam, passusque est multos ex discipulis suis à se discedere ex occasione verborum suorum de carnis suæ manducatione. Quod tamen facile impedire potuisset, explicando verba sua de manducatione impropria & metaphorica per solam fidem, si de hac intellexisset. 3. Quia Patres apud Bellarminum, & Concilia Ephesinum, Nicænum II. & Trident. hæc Christi verba intellexerunt in sensu proprio.

Prob. 2. Ex verbis quibus Christus Eucharistiam instituit, Matth. cap. 26. *Accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait; accipite & comedite; hoc est corpus meum: & accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Similia leguntur Marc. 14. Luc. 22. & 1. Cor. c. 11.

Quæ Christi verba in sensu proprio clare significant realem præsentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. In sensu autem proprio sumenda esse constat.

1. Ex

1. Ex hac regula interpretandi Scripturam receptissima, & à S. Augustino, l. 3. de doctrina Christiana, c. 10. tradita, nempe verba Scripturæ accipienda sunt in sensu proprio, nisi obstet Scriptura contraria, (sub qua intellige etiam Traditionem) aut evidens aliquod absurdum ex eo sequatur. Enim verò si Scriptura posset pro cujusque arbitrio ad metaphoricos sensus detorqueri, nihil ex ea certi haberi posset, & ipsa Scriptura esset errorum omnium seminarium, at neutrum dici potest: nam neque afferri potest ulla Scriptura contraria præsentiæ reali Christi; imò in eam conspirant Evangelistæ & Paulus, qui Eucharistiæ institutionem referunt absque ullo sensus figurati indicio, & semper utuntur verbo *est*, & nominibus corporis ac sanguinis. Neque etiam ex hac reali præsentia Christi absurdum aliquod, sed potius ex ea sequitur maxima divinæ bonitatis, sapientiæ & omnipotentiæ commendatio.

2. Quia Christus per hæc verba privatim de re gravissima instruebat Apostolos suos, homines rudes ac simplices, quibus vel mysteria clare proponebat, vel obscurius dicta continuo explicabat, eosque alloquebatur eo tempore ac loco, quo mi-

nime

nimè oportebat eum obſcurè ac tropicè loqui, videlicet cum primum tanti Sacramenti participes efficiebat Apoſtolos, quos proinde neceſſe erat plane intelligere quid eis daretur, ut illud cum debito affectu ſuſciperent.

3. Quia Apoſtolus poſtquam Eucharíſtiæ inſtitutionem eodem quo Evangeliſtæ modo retulit, inde concludit ea, quæ néceſſario realem præſentiam corporis & ſanguinis ſupponunt, ſic enim ait, 1. Cor. cap. 11. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſe ipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Igitur ex Apoſtolo, qui Euchariſtiam indignè ſumit, reus eſt, non figuræ corporis & ſanguinis Chriſti, ſed ipſius corporis & ſanguinis; quia nempe indigne recipit corpus & ſanguinem Domini, non verò ſolum utriuſque figuram. Et verò si qui indigne tractant figuram corporis & ſanguinis Domini, eſſent rei ipſius corporis & ſanguinis Chriſti; Judæi, qui olim Agnum paſchalem & manna indignè ſumebant, æquè dici debuiſſent rei corporis

tris & sanguinis Domini, cum illa duo essent figuræ Christi: quod est absurdum.

Item ex Apostolo qui Eucharistiam indignè recipit, judicium sibi manducat, quia non discernit corpus Domini, sed eam sumit tamquam panem materialem. Quæ omnia clarè ostendunt in Eucharistia sumi verè ac realiter corpus & sanguinem Christi, non meram figuram corporis & sanguinis ejus.

4. Ex perpetua & constanti Traditione, quæ semper hæc Christi verba intellexit in sensu proprio, ut jam ostendi.

Prob. 3. Ex perpetua traditione, cujus testes sunt Patres & Concilia. Horum testimonia à tempore Apostolorum per singulas ætates apud Bellarminum digesta reperies. Ex innumeris textibus, qui proferri possunt, hi sufficiant.

Primo sæculo. S. Ignatius Martyr, Epist. ad Smirnenses apud Theodoretum, Dialogo 3. Sic ait de hæreticis sui temporis: *Eucharistiam & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit.*

Secundo sæculo. S. Justinus, Martyr, Apolog.

Apolog. 2. prope finem, sic de Eucharistia loquitur: *Non enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factum Jesus Christus servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eumdem modum etiam eam in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse docti sumus.* Et S. Irenæus, l. 4. c. 34. *Eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini, & calicem sanguinis ejus,* & infra, *Quemadmodum qui est à terra panis, percipiens invocatione Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti,* id est, specie panis, & corpore Christi.

Tertio sæculo. Tertullianus, lib. de resurrectione carnis, cap. 8. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.*

S. Cyprianus eamdem veritatem tradit, serm. de lapsis.

Origenes, homil. 5. in diverso. *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini; tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.*

greditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc centurionem, & dicito: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Ubi enim indigne ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti.

Quarto sæculo. S. Cyrillus Hierosſ. Catecheſi Myſtagogica. 4. Poſtquam inſtitutionem Euchariſtiæ & verba Chriſti retulit, ſic proſequitur: *Cùm igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet, atque dicat de pane: hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante, & dicente: hic eſt ſanguis meus; quis, inquam, dubitet, & dicat non eſſe illius ſanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum .... ſola voluntate. Et non erit dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem transſmutaſſet? quare cum omni certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus: nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis, ut ſumpto corpore & ſanguine Chriſti, efficiaris ei comparticeps corporis & ſanguinis. Sic Chriſtiphori erimus, cum ejus corpus & ſanguinem in membra noſtra receperimus;* &c.

S. Ambroſius, lib. 4. de Sacramentis, c. 4. *Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum. Ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti .... ſi tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ*

non

non erant: quantò magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur? .... non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quod jam corpus est Christi. Ipse dixit, & factum est: ipse mandavit, & creatum est .... ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis.

S. Chrysostomus, homil. 60. ad populum Antiochenum. *Quod nunc dicunt vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta? Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas.* Et hom. 51. in Matth. *Si volumus, ipsum totum habemus: non enim vestis solum, sed corpus ipsius nobis propositum est, non ut tangamus solummodo, sed comedamus, &c.* lege totum.

Idem docent S. Athanasius, apud Theoderetum, Dialog 2. S. Hilarius, lib. 8. de Trinit. S. Basilius, l. de Bapt. c. 2. S. Gregorius Naz. orat. 2. de Paschate; his adde Patres Concilii Nicæni I. can. 18.

Quinto sæculo. S. Hieronymus, in c. 1. Epist. ad Titum.

S. Augustinus, l. 2. contra adversarium legis, cap. 9. *Sicut mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque*

san-

sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus, &c. & in Psal. 33. Conc. I. *Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: hoc est corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus suis.*

Idem docet S. Leo, M. serm. 6. de jejunio 7. mensis. Adde Concilium Ephesinum, quod approbavit explicationem 12. Anathematismorum contra Nestorium in Alexandrina synodo editorum, factam à S. Cyrillo Alexandrino, in qua ad 11. clare continetur fidei veritas de reali præsentia Christi in Eucharistia:

Sexto sæculo. S. Remigius Remensis Episcopus, in Commentario, c. 10. Epistolæ primæ ad Corinth. de pane consecrato à Sacerdote sic ait: *Licet panis videatur, in veritate corpus Christi est.*

Septimo sæculo. S. Gregorius magnus, homil. 22. in Evangelia. *Quid sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis: qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.*

Octavo sæculo. S. Joannes Damascenus, lib. 4 orthodoxæ fidei c. 14. *Dixit Deus: hoc est corpus meum, & hic sanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem: atque omnipotenti ipsius præcepto donec ipse*

Z *veniat,*

veniat, hoc efficitur .... panis ac vinum & aqua per sancti Spiritus invocationem & adventum mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur. Idem testatur Conc. Nicænum II.

Nono sæculo. Paschasius Corbejensis Abbas, in libro de corpore Domini, c. 1.

Decimo sæculo. Carnotensis Fulbertus Episcopus, vir doctrina & sanctitate illustris, in Epist. ad Adeodatum.

Undecimo sæculo. Sanctus Anselmus, in Commentario capitis 11. Epistolæ primæ ad Corinthios. Et Concilia multa contra hæresim Berengarii huic veritati oppositam, scilicet Romanum II. sub S. Leone IX. in quo excommunicatus est Berengarius: Vercellense multorum Episcoporum ex diversis mundi partibus coactorum, in quo Joannis Scoti liber contra realem Christi præsentiam in Eucharistia lectus & damnatus est, Berengarii hæresis damnata, & veritas opposita confirmata est, ut testatur Lancfrancus, in Commentario adversus Berengarium: Turonense anno 1055. aliud Concilium Romanum 113. Episcoporum, anno 1059. sub Nicolao II. & aliud Romanum sub Gregorio VII. in quibus duobus Conci-

liis

liis Berengarius, abjurata hæresi, fidei professionem de præsentia reali Christi in Eucharistia cum jurejurando emisit.

XII. Sæculo, Sanctus Bernardus in vita S. Malachiæ

XIII. Sæculo. Præter S. Thomam, S. Bonav. & Scholasticos Doctores, Concilium generale Lateranense IV. cap. 1. ubi ait: *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur: in qua idem ipse Sacerdos, & sacrificium Jesus Christus, cujus corpus & sanguis in Sacramento altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem potestate divina.*

XIV. Sæculo. Præter Scotum, Durandum & alios Scholasticos, Concilium Generale Viennense, in decreto de festo corporis Domini, Clementina unica de reliquiis & venerat. sanctorum.

XV. Sæculo. Duo Concilia generalia Constantiense, & Florentinum. Constantiense, sess. 15. damnavit has Joannis Wicleffi & Joannis Hus propositiones. *Sicut Christus est simul Deus & homo, sic hostia consecrata est simul corpus Christi ad minimum in figura, & verus panis in natura: vel quod idem sonat, verus panis naturaliter, & corpus Christi figuraliter. Secure*

denuncio modernis hæreticis, quod non possunt declarare, nec intelligere accidens sine subjecto. Sicut Joannes figuraliter fuit Elias, & non personaliter: sic panis in altari figuraliter est corpus Christi; & absque ambiguitate, hæc est figurativa locutio, hoc est corpus meum, sicut ista, Joannes est Elias. Florentinum verò in decreto unionis Græcorum definit, *in azymo, sive in fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici.* Et in decreto pro Armenis ait: *Sacerdos in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur: ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.*

XVI. denique sæculo. Concilium Tridentinum generale, seff. 13. c. 1. & can. 1. ubi ait: *Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem una cùm anima & divinitate Domini nostri Jesu Chri, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodò esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.*

Ex his omnibus fieri poteſt hoc præ-

ſcriptionis argumentum. Illud dogma eſt verum & à Deo revelatum, quod ſemper creditum fuit in Eccleſia. At dogma de reali præſentia Chriſti ſemper creditum fuit in Eccleſia, ut patet ex dictis. Ergo hoc dogma eſt verum & à Deo revelatum. Major conſtat: nam dogma quod ſemper creditum fuit in Eccleſia, certiſſime ab Apoſtolis traditum fuit, ideoque verum & à Deo revelatum eſt.

§. II.

Obſerva. 1. Chriſtus de Euchariſtia loquens ſubjecit: *Spiritus eſt qui vivificat caro non prodeſt quidquam, verba quæ ego locutus ſum vobis Spiritus, & vita ſunt.* Non de ſua carne dixit, ſed de hominibus carnalibus, & carnaliter ſentientibus ut docet S. Chriſoſt. Homil. 46. in Joan. *Quomodo igitur ait* (Chriſtus) *caro non prodeſt quid quam? non de ſua carne dicit, abſit; ſed de his qui carnaliter accipiunt, quæ dicuntur.*

Obſerva. 2. Verba Chriſti: *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Non intelligenda ſunt de Chriſto ſpiritualiter, nempe per fidem manducando. Nam Chriſtus aliquid novi promittit, item aliquid mandu-

manducandum, quod non manducarunt Iſràélitæ indeſerto, ita autem manducarunt illum quicunq; *juſtificati* erant ab exordio mundi, nemo enim juſtificari potuit ſine fide aliqua in Chriſtum. Dum autem S. Auguſtinus dicit Tract. 25. in Joan. *Ut quid paras dentes, & ventrem? crede, & manducaſti.* Et Tract. 26. *Credere in eum hoc eſt manducare panem vivum, qui credit in eum manducat.* Verba Chriſti myſtice non literaliter exponit, nec intendit excludere realem & Sacramentalem corporis Chriſti manducationem, quam alibi clarè eam tradit & ſemper ſupponit, imò & citato Tract. 26. ac 27. clariſſimè. Præterea cum dicit: *ut quid paras dentes &c.* Non exponit verba illius capitis, quæ ad Euchariſtiam ſpectant, ſed iſta: *hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille.* Quæ verba poſtquam retuliſſet S. Doctor ſubjicit: *Hoc eſt manducare cibum, qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Ut quid paras dentes &c.*

Obſerva. 3. Tertul. l. 1. contra Marcion. dicit corpus ſuum *repræſentaſſe* utitur pro exhibere aliquid præſens, ut l. 4. contra Marcion: ait: *Itaq; jam repræſentans eum, hic eſt Filius meus dilectus.* Cum autem l. 4. c. 40. inquit: *Acceptum panem &*

& distributum Apostolis corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei. sensus est: Christus acceptum panem illum fecit corpus suum, dicendo hic panis, qui olim fuit figura corporis mei, nunc consecratus est corpus meum. Nam Tertulianus ibi utitur metathesi, & verba illa (*figura corporis mei*) non conjungit cum his vocibus (*corpus meum*) sed cum pronomine *hoc* per quod pronomen demonstrat quidem panem communem non qui remanet, sed qui mutatur. Sancti quoq; PP. cum Eucharistiam vocant signum, figuram, aut typum semper intelligunt signum non nudum & vacuum, sed plenum re significata: nempe est signum corporis & sanguinis Christi, *ut immolati in Cruce;* seu corporis ut visibiliter crucifixi, & sanguinis effusi ac separati à corpore; Porro idem potest esse sui ipsius signum ac figura, alio modo considerati: sic Rex gravissimo bello perfunctus, si id ipsum bellum populo ad oblectandum in scena repræsentari vellet ipseq; suam personam repræsentaret, esset ipse figura, ac Ectipon sui prototypi.

Observa. 4. Origens Homil. 7. in Levit: dicit: *Si enim secundum literam, sequaris hoc, quod dictum est: nisi manducaveritis*

ritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, occidit hæc litera. Id est si accipias ad literam manducationem carnis per lacerationem, divisionem, ut putabant Capharnaitæ; unde excluditur modus ordinarius, non substantia manducationis.

ARTICULUS II.

Utrùm substantia panis & vini remaneat in Eucharistia post consecrationem?

Nota. LUtherus, qui prius liberam reliquerat transsubstantiationis fidem, postea sententiam mutavit; sic enim contra Henricum VIII. Angliæ regem scribit anno 1522. *Nunc transsubstantiare volo sententiam meam, & dico, antea posui nihil referre sive sic, sive sic sentias de transsubstantiatione: nunc autem decerno impium & blasphemum esse, si quis dicat panem transsubstantiari.* Quare sensit substantiam panis & vini simul cum corpore & sanguine Christi esse in Eucharistia. Ita etiam sentiunt Lutherani.

Dico. In Sacramento Eucharistiæ non remanet substantia panis & vini una cum corpore & sanguine Christi, sed tota convertitur in corpus & sanguinem Christi. Est de fide.

Prob.

Prob. 1. Ex his verbis Chriſti, Matth c. 26. *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* Quare verba (ut modo probatum eſt & fatentur Lutherani) vere ac propriè demonſtrat corpus & ſanguinem Chriſti, non vero ſolam illorum figuram vel virtutem. Unde ſic argumentor. Si ſubſtantia panis & vini non convertatur in corpus & ſanguinem Chriſti, hæc Chriſti verba erunt falſa. Falſum conſeq. Ergo. *Prob. ſeq. maj.* Nam ſenſus illorum verborum hic erit: hic panis eſt corpus meum, hoc vinum eſt ſanguis meus. At falſum eſt panem eſſe corpus Chriſti & vinum ejus ſanguinem. Ergo. Major conſtat, tum quia pronomina *hic* & *hoc* demonſtrant ſubſtantiam ſenſibiliter præſentem, ideoque demonſtrabunt ſubſtantiam remanentem panis & vini, utpote ſolam juxta adverſarios ſenſibiliter præſentem: tum quia pronomen *hic*, vel *hoc* non demonſtrat niſi ſubſtantiam ex natura ſua ſubſtratam iis accidentibus quæ indicantur, quamdiu illa ſubſtantia iis accidentibus ſubeſt.

Igitur verus ſenſus hujus propoſitionis (*hoc eſt corpus meum*) eſt iſte: hæc res, quæ continetur ſub ſpeciebus panis, non

non eſt amplius panis, ſed eſt corpus meum.

Prob. 2. Ex Patribus apud Bellarminum pro omnibus ſint S. Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſi 4. *Aquam aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in cæna Galileæ, ſola voluntate: & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet?* S. Ambroſius, l. de initiandis, c. 9. *Quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit; majoremque vim eſſe benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur?* Nomine benedictionis intelligit conſecrationem. Et S. Damaſcenus, lib. 4. orthodoxæ fidei, cap. 14. *Panis, ac vinum & aqua per ſancti Spiritus invocationem & adventum, mirabili modo in Chriſti corpus & ſanguinem vertuntur.*

Prob. 3. Ex Conciliis. Et 1. ex Concil. Romano ſub Nicolao II. in quo Berengarius hæreſim oppoſitam damnare coactus eſt ut teſtatur Lanfrancus qui Concilio adfuit; & altero Romano ſub Gregorio VII. in quo idem Berengarius profeſſus eſt ſe credere, *Panem & vinum, quæ ponuntur in altari, in veram & propriam ac vivificatricem carnem & ſanguinem Jeſu Chriſti*

sti substantialiter converti per verba consecratoria, & ita post consecrationem esse verum corpus & sanguinem Christi.

2. Ex Concil. generali Lateranensi IV. cap. 1. ubi dicitur: *Idem ipse Sacerdos & sacrificium Jesus Christus, cujus corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem potestate divina.*

3. Ex Conc. Florent. supra laudato.

4. Ex Conc. Trident. sess. 13. can. 2. *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis & vini: quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè transubstantiationem appellat, anathema sit.*

Ex quibus patet Christum non esse præsentem in Eucharistia per unionem panis cum corpore Christi vel cum Verbo: nam unio non est conversio.

ARTICULUS III.

Utrùm totus Christus sit sub utraque specie Sacramenti Eucharistiæ?

DIco 1. Totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joann. c. 6. *Qui manducat me, & ipse vivit propter me.* Ergo Christus verè comeditur sub specie panis: non enim comeditur nisi sub illa. Ergo Christus est sub specie panis, alioqui non posset comedi sub illa. Atqui Christus est verbum homo, perfectus Deus & perfectus homo. Ergo sub specie panis est verbum homo, est perfectus Deus & perfectus homo, ideoque & personalitas verbi, & divinitas, & humanitas integra ac perfecta, proindeque totus Christus. Idem dic de specie vini ob identitatem rationis.

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sint S. Ambrosius, l. de initiandis, cap. 9. *In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi.* S. Chrysostomus, homil. 83. in Matth; de Christo loquens ait: *Ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta ejus desideras videre, ipse verò* (in Eucharistia) *se ipsum tibi tradit, non ut videas solùm* (videndo scilicet species consecra-

ſecratas) *verùm etiam ut tangas, & in te habeas.* S. Hieronymus, Epiſt. ad Hebidiam, q. 2. *Dominus Jeſus, ipſe conviva & convivium, ipſe comedens & qui comeditur.*

Prob. 3. Ex Conc. Conſtantienſi, ſeſſ. 13. infra citando, Florent. in Decreto pro Armenis, & Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. ubi ait: *Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie unà cum ipſius anima & divinitate exiſtere: ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini, ex vi verborum: ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypoſtaticam unionem. Quapropter veriſſimum eſt, tantumdem ſub alterutra ſpecie atque ſub utraque contineri. Totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie & ſub quavis ipſius ſpeciei parte, totus item ſub vini ſpecie & ſub ejus partibus exiſtit.* Idem etiam, can. 3. definit. Hinc

Dico 2. Sic totus Chriſtus eſt ſub qualibet ſpecie, ut tamen ex vi verborum præcisè contineatur ſub ſpecie panis ſolum corpus,

pus, & sub specie vini solus sanguis. Ratio est, quia vi verborum id præcisè continetur sub specie panis, & sub specie vini, quod per verba consecratoria panis & vini significatur. Nam verba, quæ sunt formæ Sacramentorum, directè ex vi sua præcisè efficiunt id quod significant. Atqui per verba consecratoria panis, corpus, & per verba consecratoria vini sanguis solùm significatur, nihil ampliùs; ut patet ex his verbis: *Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei.* Ergo.

ARTICULUS IV.

Utrùm totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis & vini?

DIco. 1. Totus Christus continetur sub qualibet parte specierum panis & vini post illarum divisionem. Est de fide.

Prob. 1. Ex Conc. Florent. in Decreto. *Totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.*

2. Ex Conc. Trident. sess. 13. can. 3. *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione*

*tione facta, totum Christum contin*eri*; anathema sit.*

Ex praxi Ecclesiæ, quæ particulas ab hostia consecrata separatas, eadem veneratione asservat, & fidelibus porrigit perinde ac hostiam integram.

Ratio est, quia corpus Christi, ideoque totus Christus propter concomitantiam manet sub speciebus panis sensibilibus quandiu non corrumpuntur. At non corrumpuntur per sui divisionem. Ergo. Præterea alioqui sequeretur Christum vel desinere esse sub partibus specierum post illarum divisionem, quod dici non potest: alioqui Apostoli Christum non recepissent saltem sub specie vini, nam singuli partem tantùm specierum vini semel consecrati in eodem calice receperunt. Vel saltem sequeretur Christum non esse sub partibus specierum nisi secundum singulas sui partes, quod absurdum est: nunc enim partes corporis Christi à se invicem separari non possunt; alioqui gloriosum Christi corpus esset mutilum, & membratim dissectum.

Dico 2. Totus Christus sub qualibet parte specierum panis & vini continetur etiam ante illarum divisionem. Ita plerique Theologi cum S. Thoma contra paucos, quorum sententia quamvis hæretica

non

non ſit, quia Conc. Florent. & Trident. in ſua definitione addiderunt hæc verba, *ſeparatione facta*; tamen ab aliquibus habetur ut errori proxima.

Prob. Fide conſtat, facta ſeparatione ſpecierum, Chriſtum totum eſſe ſub ſingulis illarum partibus diviſis. At hoc falſum eſſet ſi Chriſtus ſub illis partibus ante ſeparationem non eſſet: nam ſeparatio non eſt nova conſecratio, nec quidquam de novo operari poteſt, nec proinde conſtituere Chriſti corpus ubi antea non erat.

Præterea Chriſti corpus non poteſt incipere eſſe ubi non erat, niſi per reproductionem. Ergo ſeparatione facta Chriſtus non exiſtit ſub qualibet parte, ſi ante ſeparationem non exiſtebat ſub illa: nam Chriſti corpus reproduci non poteſt per ſeperationem ſpecierum, nec vi verborum formæ prius prolatæ; cum jam verba illa deſierint eſſe; & totum, quem habere poterant, effectum habuerint ſtatim atque prolata ſunt.

ARTICULUS V.

Utrùm communio Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie ſit neceſſaria jure divino?

Nota. CErtum eſt communionem ſub utraque

utraque ſpecie à Chriſto præceptam eſſe Sacerdoti ſacrificanti. Certum eſt etiam communionem ſub ſpecie vini non eſſe à Chriſto prohibitam laicis: nam communio ſub utraque ſpecie ſæpe, imo communiter in publicis cœtibus data fuit laicis in Eccleſia Latina uſque ad duodecimum ſæculum, à quo tempore uſus ſolius ſpecei panis ſenſim invaluit. Sed anno circiter 1412. Petrus Dreſdenſis & Jacobus Miſnenſis docuerunt Pragæ in Bohemia Euchariſtiæ ſumptionem ſub utraque ſpecie eſſe jure divino etiam laicis neceſſariam. Unde eorum diſcipuli dicti ſunt Calixtini. Hunc errorem ſecuti ſunt Joannes Hus, Huſſitæ, & poſtea Lutherani, & Calviniſtæ.

§. I.

Dico Communio ſub utraque ſpecie neceſſaria non eſt ex præcepto divino Fidelibus non ſacrificantibus. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joann. c. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum . . . qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ubi Chriſtus vitam æternam promittit ſumentibus Euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis. Ergo Chriſtus non præcipit omnibus ſumptionem Euchari-

ſtiæ ſub utraque ſpecie: nam ſi præcepiſſet, communicantes ſub unica ſpecie peccarent graviter violando præceptum divinum in re gravi, ideoque damnationem æternam mererentur: & conſequenter Chriſtus eis falso vitam æternam promiſiſſet. Act. cap. 2. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Ubi communio exprimitur ſolum ſub ſpecie panis, eò quod, ſi non ordinariè, ſaltem ſæpe Fideles laici ſub hac unica ſpecie communicabant.

Prob. 2. Ex Traditione, quæ nobis innoteſcit per uſum veteris Eccleſiæ, quæ cùm vera Chriſti Eccleſia fuerit etiam juxta adverſarios, nihil egit contra præceptum Chriſti. In veteri autem Eccleſia ſæpe Fideles ſub ſola ſpecie panis communicabant. Nam,

I. Primis Eccleſiæ ſæculis ſæviente perſecutione, ſolebat poſt ſacrificium fidelibus tradi Euchariſtia domum deferenda, ut illam opportuno tempore ſumerent & maximè ut ſe ad mortem pro fide conſtanter ſubeundam corroborarent; ut conſtat ex Tertulliano, Cypriano, Clemente Alexandrino, & aliis apud Bellarminum. Euchariſtia autem domum deferen-

da

da tradebatur tantum ſub ſpecie panis. Sola enim ſpecies panis Fidelibus in manus tradebatur: ſpecies vero vini ſolum dabatur ex calice bibenda, ut conſtat ex S. Cyrillo Hieroſolymitano, Catecheſi 5. Nec in domibus laicorum erant calices ſeu vaſa quibus contineri poſſet ſanguis Chriſti, ut patet ex Apologia 2. S. Athanaſii. Neque id conveniebat.

II. Euchariſtia ſub ſola ſpecie panis aſſervabatur, ut conſtat ex Cypriano, Ambroſio, & aliis Patribus, qui de hac aſſervatione loquentes, ſolius panis ſpeciem meminerunt.

III. Ægroti plerumque ſub ſola ſpecie panis communicabant, ut patet ex Epiſt. Dionyſii Alexandrini apud Euſebium, l. 6. Hiſt. cap. 44. ex vita S. Ambroſii, in qua Paulinus Diaconus narrat ſanctum illum animam agentem, ab Honorato Vercellenſi Epiſcopo accepiſſe corpus Domini, *quo accepto, ubi glutivit emiſit ſpiritum.* Et ex vita S. Baſilii, in qua Amphilochius ſcribit S. Baſilium ad Miſſæ miniſterium ſtetiſſe in templo, panem conſecratum ſumpſiſſe cum clericis, & poſtea in lecto recumbentem reddidiſſe Domino ſpiritum.

IV. Manichæi ut laterent, panem Eu-

charistcum cum Catholicis sumebant, numquam calicem, ut constat ex S. Leone, serm. 4. de Quadragesima. At si Ecclesia sensisset utriusque speciei sumptionem Fidelibus omnibus à Christo præceptam esse, Manichæi solam panis speciem sumendo, latere non potuissent, sed sese prodidissent, abstinendo à specie vini.

V. In Ecclesia Latina prioribus sæculis, sicut nunc etiam fit, feria sexta majoris Hebdomadæ Sacerdos communicabat sub sola specie panis, sumendo scilicet hostiam pridie consecratam, ut constat ex Innocentio I. Epist. 1. c. 4. & ex antiquis ritualibus. Item olim in Ecclesia Græca communio sub sola specie panis fiebat per totam quadragesimam, exceptis die Dominico & Sabbato, ut constat ex Græcorum Euchologiis simpliciter præscribentibus asservandam esse speciem panis pro aliis diebus, in quibus erat tantum Missa Præsanctificatorum.

Vide plura apud Bellarminum.

Prob. 3. Ex Conciliis: Constantiense; sess. 13. sic ait: *Sicut hæc consuetudo ad vitandum aliqua pericula & scandala, est rationabiliter introducta, quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à Fidelibus sub utraque specie, postea à con-*

à conficientibus sub utraque, & à laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur; cum firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis quàm sub specie vini veraciter contineri. Unde cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta & diutissimè observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libitu mutare. Trid. sess. 21. can. 1. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi Fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit.* Et can. 2. *Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret; aut in eo errasse; anathema sit.*

§. II.
Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Illud Christi, Joann. cap. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Resp. Christus his verbis præcipit tantum

tum ſumptionem corporis & ſanguinis ſui. Corpus autem & ſanguis Chriſti vere ſumuntur ſub unica ſpecie, perinde ac ſub utraque, cum Chriſtus totus ſit ſub qualibet ſpecie. Quare totum præceptum impletur ſumendo Euchariſtiam ſub unica ſpecie.

Obj. 2. Illud Chriſti, 1. Cor. c. 11. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Reſp. Verba illa abſolute ponuntur tantum poſt conſecrationem panis. Poſt calicis verò conſecrationem ponuntur cum conditione, nam dicitur: *Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.* Quod diſcrimen ſatis oſtendit calicis ſumptionem non omnibus præceptam eſſe. Quamvis igitur iſta verba (*hoc facite*) ad laicos, & ad Sacerdotes conficientes Euchariſtiam pertinerent, non tamen ad eos omnes eodem modo ſpectant. Nam Sacerdotibus præcipitur, ut aliquando Euchariſtiam conficiant, & quoties conficiunt, ſub utraque ſpecie communicent: Laicis vero præcipitur tantum ut aliquando communicent ſive ſub una ſpecie, ſive ſub utraque, quem modum Chriſtus reliquit Eccleſiæ determinandum.

Obj. 3. Eod. cap. dicitur: *Probet au-*

tem

tem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

Resp. His verbis præcipitur, non sumptio calicis, sed dispositio requisita ad Eucharistiam utiliter ac dignè sumendam.

Obj. 4. Illud, Matth. cap. 26. *Bibite ex hoc omnes.*

Resp. Hoc dictum est solis Apostolis præsentibus, ut patet 1. ex contextu; sic enim ibi legitur: *Et accipiens calicem, gratias egit, dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes.* Ergo Christus illis solis dixit, *bibite ex hoc omnes*, quibus dedit calicem, nempe solis Apostolis. 2. Ex his Marci, c. 14. verbis: *& biberunt ex eo omnes:* ubi tò *omnes* manifeste significat tantum eos, qui cum Christo in ultima cœna discumbebant.

Obj. 5. In veteri Ecclesia laici sub utraque specie communicabant, ut constat ex multis Patribus.

Resp. In veteri Ecclesia Laicis ministrabatur quidem Eucharistia sub utraque specie, sed non semper, ita ut sub unica etiam specie sæpe daretur, ut infirmis, & quando privatis in domos suas deferenda tradebatur. Crescente autem magis ac magis Christianorum numero, sensim desiit usus sub utraque specie ob difficultates

&

& pericula. Quemadmodum igitur rectè & prudenter, etiam juxta adversarios, nunc retinetur modus administrandi Baptismi per infusionem, postquam hæc ubique inducta est, quamvis per duodecim sæcula administratus sit per immersionem, sed quæ propter difficultates & incommoda paulatim in desuetudinem abiit: sic usus ministrandi Eucharistiam sub sola specie panis recte ab universa Ecclesia retinetur ob difficultates & incommoda majora, quæ in usu calicis reperiuntur, quamvis calix per duodecim sæcula in usu fuerit.

Obj. 6. Gelasius Papa, can. *comperimus*, de consecrat. dist. 2. ait: *Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant; qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

Resp. Vel Gelasius (ut docet glossa) loquitur de solis Sacerdotibus sacrificantibus, qui jure divino tenentur utramque speciem sumere; Vel si comprehendat Laicos, loquitur de his, qui ex errore

rore Manichæorum à calice ſemper abſtinebant: quales erant ipſi Manichæi, & Priſcillianiſtæ, qui ideo à ſpecie vini abſtinebant, quia putabant vinum eſſe creaturam de ſe malam & à Diabolo factam & Chriſtum non habuiſſe verum ſanguinem. Hinc recte jubentur aut integra Sacramenta & ſub utraque ſpecie ſumere in ſignum abjectæ ſuperſtitionis & hæreſis, aut ab iis omnino abſtinere. Hinc etiam recte dicuntur tantum Sacramentum grandi ſacrilegio dividere, in quantum ſua hæretica opinione Chriſtum dividebant, & Euchariſtiam ipſam, in qua ſanguinem contineri non credebant.

CAPUT III.
De Miniſtro Euchariſtiæ.

ARTICULUS I.
Quis ſit Miniſter Euchariſtiæ conficiendæ?

Nota. LUtherus poteſtatem conficiendi Euchariſtiam tribuit baptizatis omnibus, quamvis addat non expedire ut quis ea utatur, niſi ad hoc officium deputatus ſit. Imò, in lib. de Miſſa privata,

vata, afferit verum fore Sacramentum, etiamfi conficeretur à Diabolo.

Dico. Solus Sacerdos poteft Euchariftiam conficere, feu valide confecrare, ideoque folus eft minifter Euchariftiæ conficiendæ. Eft de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis Chriftus poteftatem conficiendi Euchariftiam concefit folis Apoftolis, quos folos alloquebatur, & eorum in Sacerdotio fucceſſoribus, ut conftat ex Traditione & perpetuo Ecclefiæ fenfu ac ufu.

2. Ex Patribus apud Bellarminum & alios.

3. Ex Conc. General. Conc. Nicæn. I. can. 18. ait: *pervenit ad fanctam Synodum, quod in nonnullis locis & civitatibus Diaconi dent Presbyteris Euchariftiam, quod nec canon, neque confuetudo tradidit, ut qui offerendi poteftatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Chrifti.* Conc. Lateran. IV. cap. 1. *hoc utique Sacramentum* (Euchariftiæ) *nemo poteft conficere, nifi Sacerdos, qui fuerit rite ordinatus.* Concil. Florent. in decreto pro Armenis, idem docet. Denique Conc. Trident. feff. 22. cap. 1. & can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, Chriftum*

non

non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit.

CAPUT IV.
De Sacrificio Missæ.

Utrùm in Missa offeratur verum ac propriè dictum Sacrificium?

§. I.
Prænotanda.

I. SAcrificium latè, vel strictè sumitur. Sumptum late & improprie est quælibet actio bona interna vel externa ad Dei cultum & honorem relata, vel Deo grata, ut contritio cordis, laus Dei, eleemosyna, &c.

Sacrificium vero strictè & propriè sumptum est oblatio externa rei sensibilis, per aliquam ejus destructionem, facta Deo, ad testificandum Deum esse supremum rerum omnium & nostri esse Auctorem, ac supremum vitæ & necis Dominum, cui proinde totum nostrum esse debemus, ejusque destructionem si illam postularet.

Dici-

Dicitur I. *Oblatio externa rei ſenſibilis* animatæ ſcilicet vel inanimatæ. Quia Sacrificium humano ac publico uſui accommodatum eſſe debet; eſtque actus religionis externus, Deo debitus. Nam cum homo ex corpore & ſpiritu conſtet, Deum colere debet, non ſolum actibus internis, ſed etiam externis.

II. *Per aliquam deſtructionem*, ſive phyſicam, quæ ſit rei deſitio immediatè facta ipſo actu ſacrificandi, ut cum animalia occidebantur: ſive moralem, per quam ſcilicet res oblata ponitur ipſo actu ſacrificandi in ſtatu deteriori & inepto ad ſuos uſus naturales, & tendente ac ordinato ad interitum ſeu deſitionem, ut patet in liquoribus, qui in libationibus fundebantur.

Ratio eſt, quia per Sacrificium homines intendunt teſtificari Deum eſſe ſupremum Auctorem ac Dominum omnium creaturarum, ſeque ei debere totum ſuum eſſe, ideoque paratos eſſe illud conſumere, imò deſtruere ad ejus gloriam ſi vellet, vel ejuſdem eſſe deſtructionem pati.

III. *Facta Deo.* Nam Sacrificium eſt cultus latriæ ſoli Deo debitus, cum ſolus Deus ſit ſupremus Auctor rerum omnium

um & Dominus vitæ ac necis. Unde illum Exodi, c. 22. *qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli.*

IV. Denique. *Ad testificandum Deum esse,* &c. Nam Sacrificium est testificatio qua homo profiterur se habere totum suum esse à Deo, seque ei totum debere, & ideo dignum esse Deum, in cujus honorem & cultum idem esse consumatur & destruatur: quam destructionem quia Deus vetat, pro nostro esse, quod destruere nobis non licet, esse alterius rei offerimus & destruimus, ut, hac ablatione & destructione testificemur nos paratos esse nostrum esse consumere, imò destruere ad Dei gloriam & honorem, si ipse exigerit, ut rectè exponit Delugo.

Porro Christus se in cruce sacrificavit non solum tormentis & morti se subjiciendo, sed etiam capite sensibiliter inclinato in signum subjectionis & humiliationis, spiritum vi propria emittendo, juxta illud, Joann. cap. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso.*

Cæterùm allata definitio est Sacrificii sumpti activè, seu pro actu sacrificandi. Nam si Sacrificium sumatur passive

seu

ſeu pro re ſacrificata, ſic definitur: ſubſtantia ſenſibilis per aliquam ſui deſtructionem oblata Deo ad teſtificandum Deum eſſe ſupremum rerum omnium & noſtri eſſe Auctorem, atque vitæ ac necis Dominum.

Miſſa autem hic ſumitur pro tota celebratione divini officii, in quo Euchariſtia conſecratur. Sic dicta eſt vel à miſſione ſeu dimiſſione populi, quia Liturgia Sacrificii peracta dimittebatur populus, vel à voce Hebraica *Miza*; quæ oblationem ſignificat.

§. II.

Dico. In Miſſa offertur verum & propriè dictum Sacrificium. Eſt de fide contra Lutherum & Calvinum.

Prob. 1. Ex Scriptura 1. ex Malachiæ c. 1. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* At per oblationem illam

Iam mundam intelligitur Eucharistiæ Sacrificium, ut constat ex Traditione Patrum, ut Justini, in dialogo cum Triphone; Irenæi, l. 4. c. 32. Chrisostomi in Psal. 95. Augustini, l. 18. de civitate Dei, c. 35. Damasceni, lib. 4. de fide c. 14. & ex Conc. Trident. sess. 22. cap. 1.

2. Ex Herb. c. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Ubi autem est altare, ibi debet esse Sacrificium propriè dictum, quod non potest esse nisi Eucharistia, cum in nova lege omnia alia Sacrificia desierint.

3. Ex Matthæo, cap. 26. Marco, c. 14. Luca, c. 22. & Paulo, 1. Cor. c. 11. Referentibus Eucharistiæ institutionem & celebrationem, quæ est verum & propriè dictum Sacrificium, ut sic ostendo. Christus celebrando Eucharistiam, se ipsum sub specie panis & vini Deo Patri obtulit, & id ipsum fieri jussit ab Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus usque ad mundi consummationem. Atqui Christus hoc faciendo, verum Sacrificium obtulit, & instituit offerendum usque in finem mundi, ut per se patet.

Ergo

Ergo celebratio Euchariſtiæ eſt verum & propriè dictum Sacrificium.

Major conſtat ex Patribus apud Bellarminum, & alios. Pro omnibus ſint, Irenæus, l. 4. c. 32. Ubi dicit Chriſtum inſtituendo Euchariſtiam, *Novi Teſtamenti novam docuiſſe oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo mundo offert Deo.* Cyprianus, Epiſt. 68. *Quis magis Sacerdos Dei ſummi quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit? Et obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem.* Auguſtinus, concione 2. in Pſal. 33. *Ipſe* (Chriſtus) *de corpore & ſanguine ſuo inſtituit Sacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech*, id eſt, ſub ſpecie panis & vini. Idem docet, ſerm. 1. & Chryſoſtomus, homil. 24. in 1. Cor. *Chriſtus .... pro cæde brutorum ſe ipſum juſſit offerri.*

Prob. 2. Ex Traditione, quæ clarè elucet in antiquiſſimis Liturgiis, Jacobi, Marci, & aliorum; & evidenter patet ex unanimi conſenſu Patrum, qui cum de Euchariſtiæ celebratione loquuntur, utuntur paſſim vocibus Sacrificii, hoſtiæ, victimæ, & verbis immolare, offerre, ſacrificare. Pro omnibus hic ſufficiant.

S. Cyril-

S. Cyrillus, Hierosol. Catechesi 5. *Post quam confectum est illud spirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum ..... maximum esse credentes pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, Sacrificii.* S. Chrysostomus, homil. in Psal. 95. *Vidi quam luculenter, quamque dilucide* (Malachias) *mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia.* S. Ambrosius, l. 1. in Luc. c. 1. *Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, Sacrificium deferentibus assistat Angelus .... Non enim dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, quando Christus immolatur.* Et in Psal. 38. *Et si nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur.* S. Augustinus, l. 10. de civit. c. 20. loquens de Christo, ait: *& Sacerdos est ipse offerens, ipse & oblato. Cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium ... Hujus veri Sacrificii multiplicia variaque signa erant Sacrificia prisca Sanctorum, cùm hoc unum per multa figuraretur .... Huic summo veroque Sacrificio cuncta Sacrificia falsa cesserunt.* Et serm. 130. de tempore. *Novum est altare Sacrificii Christi, quoniam immolatio nova & admirabilis: ipse enim ho-*

stia erat & Sacerdos: hostia quidem secundùm carnem, Sacerdos vero secundùm spiritum; idem ipse qui offerebat & quod offertur: simul ergo hostia, & Sacerdos in altari perfectus est.

His accedit definitio Concil. Tridentini sess. 22. can. 1. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.*

Prob. 3. Ratione 1. Sic. In vera religione necessatio debet esse verum ac propriè dictum Sacrificium. Atqui religio Christiana est vera religio, ut evidenter constat ex motivis credibilitatis. Ergo in religione Christiana necessariò debet esse verum & propriè dictum Sacrificium: quod non potest esse aliud quàm Eucharistia, cùm alia Sacrificia sint abrogata, & sola Eucharistia sit Sacrificium Deo dignum. Major etiam constat: nam vera religio necessario exhibere debet Deo cultum externum supremum, & ipsi soli debitum; finis enim veræ religionis est Deo supremum & ei soli debitum cultum tum internum, tum externum exhibere: & alioqui non coleret Deum modo debito. At solum Sacrificium est cultus ex-

ternus

ternus supremus & soli Deo proprius ac debitus: nam alia genera honoris externi possunt esse ei aliquo modo communia cum creaturis. Ergo vera religio necessariò debet exhibere Deo verum ac propriè dictum Sacrificium, & re ipsa exhibet. 2. Quia definitio veri Sacrificii competit Eucharistiæ confectioni.



CANONES TRIDENTINI
DE EUCHARISTIA
Ex Sess. XIII.

Si quis negaverit in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, una cum anima & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantum modo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit. *Can.* 1.

Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini, una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritq; mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in cor-

pus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis, & vini; quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè Tranſſubſtantiationem appellat; anathema ſit. *Can.* 2.

Si quis negaverit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſcunque ſpeciei partibus, ſeparatione factâ, totum Chriſtum contineri; anathema ſit. *Can.* 3.

Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantum in uſu, dum ſumitur, non autem ante vel poſt, & in hoſtiis ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini; anathema ſit. *Can.* 4

Si quis dixerit, vel præcipuum fructum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema ſit. *Can.* 5.

Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ, etiam externo adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neq; in proceſſionibus, ſecundum laudabilem, & univerſalem

versalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consvetudinem, solemniter circumgestandum vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras; anathema sit. *Can.* 6.

Si quis dixerit, non licere Sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit. *Can.* 7.

Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, & non etiam sacramentaliter ac realiter; anathema sit. *Can.* 8.

Si quis negaverit, omnes, & singulos Christi fideles utriusq; sextus, cum ad annos discretionis pervenerit, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ; anathema sit. *Can.* 9.

Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare; anathema sit. *Can.* 10.

Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum; anathema sit. Et, ne tantum Sacramentum indigne, atq; ideo in mortem & condemnatio-

mnationem sumatur: statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ confessoris, necessarió præmittendam esse confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit eo ipso excommunicatus existat. *Can.* 11.

EX SESSIONE XXII.

De Sacrificio Missæ.

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit. *Can.* 1.

Si quis dixerit, illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliiq; Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum; anathema sit. *Can.* 2.

Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neq; pro vivis

vivis; & defunctis; pro peccatis, pœnis ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit. *Can.* 3.

Si quis dixerit, blaſphemiam irrogari Sanctiſſimo Chriſti ſacrificio in Cruce peracto per Miſſæ ſacrificium, aut illi per hoc derogari anathema ſit. *Can.* 4.

Si quis dixerit, impoſturam eſſe, Miſſas celebrare Sanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda ſicut Eccleſia intendit; anathema ſit. *Can.* 5.

Si quis dixerit, Canonem Miſſæ errores continere, ideoque abrogandum eſſe; anathema ſit. *Can.* 6.

Si quis dixerit, Cæremonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magis quam officia pietatis; anathema ſit. *Can.* 7.

Si quis dixerit, Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas; anathema ſit. *Can.* 8.

Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſummiſſa voce pars canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe; aut lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere; aut aquam non miſcendam eſſe vino in calice offerendo, eo

quod

quod fit contra Christi Institutionem; anathema sit. *Can.* 9.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pænitentiam egerint. *Alex.* VIII. 7. *dec.* 1690.

Similiter arcendi sunt à Sacra communione, quibus nondum in est amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers. *Alex.* VIII. 7. *dec.* 1690.

Præcepto Communionis Annuæ satisfit per Sacrilegam Domini manducationem. *Innoc.* XI. 2. *Mart.* 1679.

Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem, etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII. *Alex.* VII. 24. *7br.* 1665.

Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collatô illi minore stipendiô, aliâ parte stipendii sibi retentâ *Alex.* VII. 24. *7br.* 1665.

Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre, neque etiam contra

contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione per juramentum firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offerram. *Alex.* VII. 24. 7*bris*. 1665.

Mandatum Tridenti factum Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quam primum, est Consilium, non præceptum; *Alex.* VII. 8. *Mart.* 1666.

Illa particula *quam primùm* intelligitur, dum Sacerdos suo tempore confitebitur. *Alex.* VII. 8. *Mart.* 1666.

Sacrificium Missæ non aliâ ratione est Sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus, quod fit, ut Sancta Societate homo Deo inhæreat. 45. *Baj.*



EX TRACTATU DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ.

CAPUT I.

De Existentia, & Natura, Sacramenti. Pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

Utrùm Pœnitentia sit Sacramentum propriè dictum?

Nota. QUæritur hic utrum Pœnitentia interna

interna, seu contrio, signo externo, videlicet confessione peccati declarata, cum verbis absolutionis à Sacerdote, legitimo judice, prolato, sit vere ac proprie Sacramentum novæ legis. Negant Calvinus, Zuinglius, Socinus, eorumque Sectatores, & ex Lutheranis non pauci. Lutherus verò qui primum Pœnitentiam è Sacramentorum albo expunxerat, postea tamen eam in illorum numerum restituit. Olim etiam negarunt Montanistæ & Novatani Ecclesiæ potestatem remittendi graviora crimina, ideoque Sacramentum Pœnitentiæ, saltem quale à Christo institutum est.

Dico. Extat in Ecclesia Pœnitentiæ Sacramentum proprie dictum, à Christo institutum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joann. c. 20. de Christo dicitur: *Hæc cùm dixisset insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum-Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Christus his verbis permanenter instituit in Ecclesia ritum aliquem externum Pœnitentiæ, annexam habentem gratiam sanctificantem. Atqui ritus externus permanenter à Christo institutus, & annexam habens gratiam sanctificantem, est Sacramentum

mentum

mentum propriè dictum, ut constat ex definitione Sacramenti ab omnibus admissa: neque enim aliter probatur ex Scriptura Baptismum esse Sacramentum. Ergo Christus instituit in Ecclesia Pœnitentiam, quæ est Sacramentum propriè dictum.

Prob. maj. Nam 1. Per verba illa Christus Apostolis eorumque successoribus concessit potestatem remittendi peccata judicialem, ut patet ex his verbis, *remittuntur, retenta sunt;* & perpetuo exercendam per verbum absolutionis, sine quo remitti non possunt peccata modo hominibus accommodato; & exigentem in reo pœnitentiam internam, ac confessionem: cum sine dolore & retractatione peccata remitti non possint, & sine confessione Sacerdos non possit habere notitiam causæ, de qua judicare debet. 2. Ille ritus externus annexam habet à Christo gratiam sanctificantem, ut patet ex his verbis, *remittuntur eis*: nam peccata non remittuntur, nisi per justificationis gratiam.

Prob. 2. Ex unanimi Patrum consensu apud Bellarminum & alios. Pro omnibus sit S. Cyprianus, Serm. de lapsis, ubi sic ait: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit*

in

in sæculo est, dum satisfactio, & remissio facta per sacerdotes, apud Dominum grata est. Et S. Augustinus, Lib. 1. de adulterinis conjugiis, c. 28. ubi ait: *Quæ baptismatis eadem est reconciliationis causa.*

Prob. 3. Ex perpetua paxi Ecclesiæ.

Prob. 4. Ex Conciliis tum Florentino, in Decreto pro Armenis, ubi inter Sacramenta novæ legis quarto loco recensetur Pœnitentia: tum Tridentino, quod sess. 14. can. 1. sic ait: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere & proprie Sacramentum, pro fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum; anathema sit.*

Ratio à priori est voluntas Christi. Bonitati autem divinæ, & infinitis Christi meritis maximè conveniebat, ut peccatis post baptismum commissis, quæ ob maximam hominum etiam baptizatorum in peccatum proclivitatem valde multiplicantur, remedium certum, sensibile, & hominibus accommodatum semper suppeditarerur: & sic non solum Baptismus, sed etiam Pœnitentiæ Sacramentum institu- erunt.

Præterea Pœnitentiæ Sacramentum plurimum confert tum ad fidelium singulorum

gulorum utilitatem; fideles enim in illo cum peccatorum remiſſione conſilium, ſolatium, peccatorum remedia, & ſatisfactionem percipiunt; tùm ad Eccleſiæ Chriſtianæ dignitatem, cùm in ea ſit conſtitutum tribunal, in quo animarum cauſæ judicentur, & offenſæ divinæ vindicentur ſimul & remittantur.

ARTICULUS II.

Utrùm Sacramentum Pœnitentiæ à Sacramento Baptiſmi diverſum ſit?

Nota. CAlvinus, Calviniſtæ, & Lutherani quidam, qui Pœnitentiæ Sacramentum rejiciunt, cum tamen concedendum putarent peccatores poſt Baptiſmum Deo reconciliari poſſe, commenti ſunt Baptiſmum ipſum, non quidem re ipſa, ſed memoria ſolum repetitum, dici poſſe & eſſe Pœnitentiæ, ſeu reconciliationis Sacramentum, quatenus Baptiſmi memoria excitat fidem, qua ſola peccata ſecundùm illos remittuntur.

Dico. Pœnitentiæ Sacramentum à Baptiſmo, Baptiſmique memoria omnino diverſum eſt. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex dictis.

2. Quia nuſquam in Scriptura & Pa-

tribu

tribus Pœnitentia dicitur esse sola Baptismi memoria, fidem excitans. Et Petrus Act. cap. 8. Simonem Magum increpans, non memoriam Baptismi suscepti tanquam reconciliationis causam, sed pœnitentiam præcipit: *Pœnitentiam*, inquit, *age ab hac nequitia tua*.

3. Ex Patribus, qui Pœnitentiæ Sacramentum à Baptismo clarè distinguunt. Hic sufficiat S. Augustinus, Lib. 2. de Adulterinis conjugiis, c. 16. *Si à Catechumeno factum est (homicidium) Baptismate abluitur; si à baptizato, Pœnitentia & reconciliatione sanatur.*

4. Ex Conciliis, tum Florentino, in Decreto ubi ait: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est .... quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, &c.* Tum Tridentino, sess. 14. c. 2. & can. 2. ubi ait: *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum, Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit: quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.*

5. Ratione. Illa Sacramenta sunt inter se omnino diversa, & distincta re & memo-

memoria, quorum materia & forma, minister & subjectum, finis & effectus sunt diversa. At sic se habent inter se Baptismus & Pœnitentia; ergo sunt duo Sacramenta inter se omnino diversa. *Prob. min. per partes.* Nam 1. Baptismi materia proxima, est ablutio aquæ; Pœnitentiæ vero, sunt actus pœnitentis: forma Baptismi sunt verba ista, *ego te baptizo, &c.* forma autem Pœnitentiæ sunt hæc, *ego te absolvo, &c.* 2. Minister Baptismi est quilibet homo in necessitate: minister autem Pœnitentiæ solus potest esse Sacerdos, judicis munus gerens in homines sibi subditos. 3. Subjectum Baptismi est homo non subditus Ecclesiæ: subjectum Pœnitentiæ est solus homo baptizatus. 4. Habent diversos fines & effectus. Nam Baptismus institutus est primario ad delendum peccatum originale, & secundario peccata personalia cum illo conjuncta: Pœnitentia verò ad sola peccata personalia, seu actualia post Baptismum commissa remittenda. 5. Denique Baptismus plenam & integram peccatorum omnium remissionem etiam quoad pænam omnem semper confert omni subjecto disposito, imprimitque Characterem, unde initerabilis est. At Pænitentia neque peccata

cata remittit quoad omnem pœnam saltem ordinariè, neque Characterem imprimit: unde iterari potest & debet si mortalia iterum committantur.

Obj. 1. Luc. 3. Baptismus vocatur Baptismus pœnitentiæ.

Resp. Ibi agitur de Baptismo Joannis non Christi. Baptismus autem Joannis dicitur 1. Baptismus pœnitentiæ, quia ad pœnitentiam invitabat, & totam vim suam à pœnitentiæ virtute habebat. 2. In remissionem peccatorum, quia mediante pœnitentia perfecta, cujus erat signum, & ad quam excitabat cum auxilio gratiæ internæ, obtinebatur remissio peccatorum. Unde non remittebat peccata ex opere operato, sed tantum ex opere operantis. Baptismus vero Christi dicitur lavacrum regenerationis & renovationis, non ad pœnitentiam præcisè excitans, sed per pœnitentiam dispositos sanctificans, renovans, ac regenerans.

Obj. 2. Aliqui Patres Baptismum vocant Sacramentum Pœnitentiæ.

Resp. Si quando sic vocant, ideo vocant, quia in adultis peccato personali inquinatis requiritur pœnitentia aliqua interna, seu contritio, tanquam dispositio

tio necessaria ad justificationem in Baptismo percipiendam.

Itaque duplex pœnitentia in Scriptura præcipitur, altera quæ est præcisè virtus, seu contritio ante Baptismum peragenda, juxta illud Act. c. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Altera, quæ est Sacramentum, & post Baptismum necessaria, consistens essentialiter in contritione, confessione peccatoris, & absolutione Sacerdotis, quam Simoni Mago præcipiebat Petrus, Act. c. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.*

Obj. 3. Marc. cap. ult. dicitur: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo Sacramentum Pœnitentiæ diversum à Baptismo inutile est ad salutem, ergo non extat.

Resp. Nego conseq. Quia hæc Christi verba intelligi debent cum hac conditione, si gratiam per Baptismum acceptam non amiserit peccato mortali, vel hanc per Pœnitentiæ Sacramentum in re vel saltem in voto susceptum recuperarit; ut constat ex aliis Scripturæ locis ubi ad salutem præter fidem & Baptismum, requiritur observatio mandatorum Dei, perseverantia in charitate & gratia, vel pœnitentia post lapsum.

Obj. 4. Baptiſmus nunquam deletur, ergo tota vita utilis eſſe poteſt ad delenda peccata, ſi ad memoriam revocetur.

Reſp. Baptiſmus quidem quantum ad characterem quem imprimit, nunquam deletur. Baptiſmus verò quantum ad ritum externum per quem eſt Sacramentum, non manet, ſed ſtatim tranſit; & quantum ad gratiam ſanctificantem quam confert; ſeu potius gratia regenerans per Baptiſmum accepta, amittitur per quodlibet peccatum mortale, nec recuperatur niſi per Pœnitentiæ Sacramentum in re vel in voto ſuſceptum.

Obj. 5. S. Auguſtinus, L. 1. De nuptiis & concupiſcentia, c. 33. docet peccata omnia etiam poſt Baptiſmum remitti ipſo Baptiſmo.

Reſp. Hoc ſolo ſenſu id docet, quod Baptiſmus ſit diſpoſitio, ſeu fundamentum præſuppoſitum ad obtinendam peccatorum remiſſionem vi clavium Eccleſiæ.

CAPUT II.

De Confeſſione.

Utrùm confeſſio omnium peccatorum mortalium à Chriſto inſtituta ſit & præcepta?

Nota. CONfeſſio, ſeu accuſatio peccati duplex eſt; altera interna, quæ

fit soli Deo, à quo venia petitur, de qua, Psal. 31. *Confitebor adversùm me in injustitiam meam Domino*: altera externa, quæ fit homini ut Dei Vicario ac Ministro, à quo absolutio Sacramentalis petitur, & dicitur confessio Sacramentalis. De hac sola hic agitur, quæ quidem sic rectè describitur: legitima & Sacramentalis accusatio peccatorum propriorum, facta Sacerdoti legitimo judici, ad eorum remissionem virtute clavium obtinendam.

Dico. Sacramentalis confessio omnium & singulorum peccatorum mortalium post Baptismum commissorum instituta & præcepta est à Christo ad eorum remissionem obtinendam. Est de fide contra Lutheranos & Calvinistas.

Prob. 1. Christus Sacerdotibus judicariam potestatem remittendi & retinendi peccata, solvendi & ligandi concessit, qua eos tanquam judices in causis peccatorum constituit. Ergo Sacramentalis confessio omnium & singulorum peccatorum mortalium à Christo instituta & præcepta est ad eorum remissionem consequendam.

Consequentia ab ipsis hæreticis expressè admittitur, & constat. Nam si Christus Sacerdotibus judiciariam potestatem remittendi & retinendi peccata, solvendi & ligandi

reum dedit, voluit talem poteſtatem ab illis prudenter, juſtè & cum diſcretione exerceri. Ergo etiam voluit ut omnia & ſingula peccata & peccantium cauſæ ipſis innoteſcerent per confeſſionem reorum, ſine qua non poſſunt innoteſcere: nam per ſe patet judiciariam poteſtatem remittendi & retinendi peccata, & ligandi ſeu pœnas pro criminum merito imponendi exerceri prudenter, rectè, & cum diſcretione non poſſe, cauſa non cognita, & ſine cognitione omnium & ſingulorum peccatorum mortalium, de quibus omnibus ferendum eſt judicium.

Antecedens patet ex Jo: c. 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Hoc eſt, quorum non remiſeritis peccata, non eis remittentur: vel ſi remittantur per actum aliquem votum abſolutionis veſtræ includentem, hoc non fiet per actum illum niſi ut Vicarium abſolutionis ſuo tempore recipiendæ pro iiſdem peccatis quæ tunc remittuntur: ac proinde cum obligatione ſe ſiſtendi ad tribunal veſtrum, & à vobis obtinendi abſolutionem. Item ex Matth. c. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Quæ verba clarè ſignifiant Apoſtolos

&

& eorum in Sacerdotio successores à Christo constitutos fuisse judices, quorum sententia remitterentur, & sine quorum sententia non remitterentur peccata mortalia fidelium: ac proinde ad quorum tribunal omnia mortalia peccata baptizatorum deferrentur.

Hos textus in hoc sensu proprio intellexere Patres, ut videre est apud Bellarminum & alios. Pro omnibus hic sufficiant S. Chrysostomus, l. 3. de Sacerdotio, ubi de Sacerdotibus ait: *Iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est quemq; alligaveritis in terra, &c. habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verùm corporum solùm. Id autem quod dico Sacerdotū vinculū, ipsam etiā animā contingit, atque ad cœlos usque pervandit usque adeo, ut quorumcumque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadē Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet: quæcumque enim, ait, peccata remiseritis, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quænam quæso potestas hac una major esse queat? pater omne judicium filio dedit. Ceterùm video ipsum omne judicium à Deo filio illis traditum.* S. August. Hom. 46. ex 50. *Nemo sibi dicat: occultè ago* (pœnitentiam,) *apud Deum ago: novit Deus qui mihi ignoscit,*

quia

quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo; ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei. Et S. Gregor. Magnus, Hom. 26. in Evang. verba ista Christi (*quorum remiseritis peccata, &c.*) exponens, sic ait: *principatum superni judicii* (Sacerdotes) *sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant quibusdam relaxent ... ecce animarum judices fiunt; & alios damnant vel liberant, &c.*

Prob. 2. Ex perpetuo usu Ecclesiæ. Christus sacramentalem omnium & singulorum peccatorum mortalium confessionem instituit & præcepit, si hæc confessio semper in usu ab initio fuit, & à Patribus ut necessaria commendata: nam tam grave onus omnes cujusque ætatis fideles nullo reclamante, minimè subiissent, nisi ipsis persuasum fuisset à Christo ipso institutum & præceptum esse. Atqui sacramentalis confessio omnium & singulorum peccatorum mortalium semper fuit in usu ab initio Ecclesiæ, & à Patribus ut necessaria commendata. Ergo hæc confessio à Christo instituta & præcepta est.

Prob. minor. Et 1. quidem pro primo sæculo. Act. c. 19. dicitur: *Multi credentium veniebant* (ad Paulum) *confitentes, & annuntiantes actus suos.* Paulo. Ubi agitur de

bapti-

baptizatis: nam ii propriè dici ſolent credentes, ut patet ex Act. c. 3. 4. & 5. & dicuntur ſimpliciter confiteri actus ſuos, id eſt, peccata, ut patet ex contextu. Ac proinde omnia & ſingula peccata gravia confeſſi ſunt: nam qui generaliter tantùm confitetur ſe eſſe peccatorem, aut ſe multa peccata admiſiſſe, aut aliqua ſolùm peccata declarat, dici non poteſt ſimpliciter confiteri peccata ſua, præſertim in ſenſu Scripturæ, quæ cùm de peccatis ſimpliciter & abſolutè loquitur, de omnibus loquitur, ut Matth. c. 9. ubi Chriſtus dixit paralitico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

2. Pro ſecundo ſæculo. S. Irenæus, qui in ipſo primo ſæculo poſt mortem Apoſtolorum floruit, & ſecundo ſæculo ſcripſit, ſic de quibuſdam fœminis à Marco hæretico ſeductis, lib. 1. c. 9. ait: *Ipſæmet ſæpe, cùm ad Dei Eccleſiam rediiſſent, confeſſæ ſunt, ſeque corpore ab eo contaminatas fuiſſe, miroque ipſius amore exarſiſſe.* Ibi agitur de peccatis occultis luxuriæ, tùm externo, tùm merè interno. Tertullianus de pœnitentia. *Plerique publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumunt, pudoris magis memores quàm ſalutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, &*

ita

ita cum erubeſcentia ſua pereunt .... grande planè emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur, videlicet ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus? &c.

3. Pro tertio atque etiam ſecundo ſæculo Origenes; nam utroque ſæculo vixit. Is, hom. 2. in Pſal. 37. ſic ait: *Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinſecùs: fortaſſis enim ſicut ii, qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris vel phlegmatis ſtomacho graviter & moleſtè imminentia: ſi vomuerint, relevantur, etiam hi qui peccaverint, ſiquidem occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus urgentur, & propemodum ſuffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum, & confitetur, ſimul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. Tantummodo circumſpice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere: qui ſciat infirmari cum infirmante, flere, cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam: ita ut demum, ſi quid ille dixerit ..... ſi quid conſilii dederit, facias & ſequaris, ſi intellexerit & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis*

&

& cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari: multa hoc deliberatione, & satis perito Medici illius consilio procurandum est. Ex quo loco patet confessionem peccatorum occultorum esse necessariam, & tempore Origenis usitatam fuisse, & ex peccatis privatim Sacerdoti declaratis ea tantum publice manifestata fuisse, quæ Sacerdos ad majorem pœnitentium utilitatem, & cæterorum fidelium ædificationem publice declaranda censebat.

Idem Origenes, homil. 17. in Lucam ait: *Si revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed & iis, qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra.* Certe hoc Origenis testimonium sufficit etiam pro duobus primis sæculis. Nam sic argumentor. Teste Origene confessio omnium & singulorum peccatorum erat in usu initio tertii sæculi. Ergo eadem fuit etiam usitata duobus prioribus sæculis; nam à tempore Apostolorum usque ad initium tertii sæculi proferri non potest ullum Concilium generale, aut ullus Pontifex, à quo instituta & præcepta fuerit ejusmodi confessio. Item ex Origene hæc confessio necessaria est ad remissionem peccatorum: ergo à solo Christo institui potest.

S.

S. Cyprianus, ferm. de lapfis. *Quanto & fide majore & timore meliore funt, qui quamvis nullo facrificii, aut libelli facinore conftricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipfum apud Sacerdotes Dei dolenter & fimpliciter confitentes, exomologefim confcientiæ faciunt, animi fui pondus exponunt, falutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt, fcientes fcriptum effe, Deus non irridetur.* Ibi agitur de confeffione privata & fecreta, ut neceffaria ad Deum, qui omnia occlta novit nec decipi poteft, placandum. Nam nunquam peccatorum occultorum præfertim merè internorum confeffio publica neceffaria fuit in Ecclefia.

4. Pro quarto fæculo. S. Athanafius, ferm. in illa verba: *Profecti in pagum, qui ex adverfo eft, invenietis pullum alligatum, &c.* Sic loquitur: *nos ipfos examinemus, num foluta funt noftra vincula, ut in melius proficiamus. Quod fi nondum foluta funt vincula, tradas te ipfum difcipulis Jefu; adfunt enim qui te folvant pro poteftate ea, quam à falvatore acceperunt. Quacumque enim ligaveritis, inquit, in terra, erunt ligata & in cœlis: & quacumque folveritis in terra, erunt foluta & in cœlis: & fi quibus remiferieis peccata, remittuntur eis.* Ubi loquitur

tur de confessione privata: nam adhortatur ad confitendum, non coram plebe, sed sacerdotibus, qui potestatem remittendi peccata à Christo acceperunt.

S. Basilius in regulis brevioribus, reg. 288. *necessario iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Loquitur autem de peccatis in specie: nam regula sequenti dicit peccata declaranda esse quemadmodum morbi corporis aperiuntur medico ut curentur. At morbi curari à medico non possunt, nisi omnes in specie ei detegantur. Paulinus, in vita S. Ambrosii, de illo sic scribit: *Quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.* Ergo fiebat apud Ambrosium confessio privata peccatorum omnium gravium, quæ nulli prodebantur. Ipse S. Ambrosius, l. 2. de pœnit. c. 6. *Si vis justificari, fatere delictum tuum: solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.*

S. Chrisostomus, homil. 33. in Joann. *In peccatis, quæ commisimus, confitendis, neminem vereamur: Deum dumtaxat, ut decet, formi-*

formidemus, qui & nunc opera noſtra videt .... vos hortor, dilectiſſimi, ut etſi nemo opera noſtra videat, ſinguli ſuam conſcientiam ingrediantur, & judicem ſibi rationem conſtituant, errata ſua in medium adducant, niſi velint in die illa horrenda univerſo orbi ea manifeſte patere. Ubi S. Doctor hortatur ad confeſſionem omnium & ſingulorum mortalium etiam occultorum: nam dicit ſimpliciter confitenda eſſe peccata quæ commiſimus, & diligens conſcientiæ examen exigit ut in medium adducantur, Sacerdoti ſcilicet privatim declarando. Hortatur autem ad hanc confeſſionem tanquam præceptam & neceſſariam, ut patet ex poſtremis textus verbis; eamque confeſſionem ſecretam intelligit: nam publicam non probavit, ut apud omnes conſtat, & illa jam fuerat à Nectario præceſſore ſuo abrogata. Præterea ad hanc confeſſionem exigit diligens examen, vultque ut confiteamur omnia quæ commiſimus, & quæ ſoli Deo innoteſcunt.

Idem S. Doctor, homil. de muliere Samaritana ait: *Qui homini detegere peccata erubeſcit .... neque confiteri vult, & pœnitentiam agere, in die illa, non coram uno vel duobus, ſed univerſo terrarum orbe ſpectante, traducetur.*

S. Hie-

S. Hieronymus, in cap. 16. Matth. *Alligat vel solvit Episcopus & Presbyter, non eos qui insontes sunt, vel noxii; sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.*

5. Pro quinto sæculo. S. Augustinus in Psal. 66. *Si non confessus lates, non confessus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus* (Deo?) *damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus .... ergo tristis esto antequam cofitearis: confessus exulta, jam sanaberis. Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciebat te, requiescere non timebat: adhibet medicus fomenta verborum; & aliquando secat .... tu agnosce medici manum: confitere exeat in confessione, & defluat omnis sanies, &c.* Ibi S. Doctor loquitur de confessione omnium & singulorum mortalium, ut patet ex his verbis, *exeat in confessione & defluat omnis sanies*, ideoque etiam occultorum, ut patet etiam ex his verb.. *si non confessus lates.* Item loquitur de confessione Sacerdoti facienda, ut patet ex istis verbis, *adhibet medicus fomenta verborum.*

S. Leo M. epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, ubi vetat ne Sacerdotes cogant pœnitentes ad peccata occulta, quæ iis

privatim

privatim confessi fuerant, publicè declaranda. *Cùm*, inquit, *reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta*: & paulò infrà: *sufficit illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, à quo pro delictis pœnitentiam peccator accipit.*

Sozomenus, l. 7. hist. c. 16. *Cùm .... pænitentibus, etiamsi sæpius deliquerint, veniam dare Deus præceperit, cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat, &c.* & quidem omnia & singula mortalia Sacerdoti, ut constat ex toto contextu.

6. Pro sexto sæculo. Sanctus Gregorius M. hom. 26. in Evangelia. *Omnis peccator dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foràs, cùm peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, veni foras; ac si aperte cui libet mortuo in culpa diceretur: cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates: veniat itaque foràs mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem verò foràs solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant*

amovere

amovere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.

De testimoniis posteriorum sæculorum pro confessione, ne ipsi quidē dubitant hæretici.

CAPUT III.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Utrùm solus Sacerdos sit minister Sacramenti Pœnitentiæ?

Nota. Minister hujus Sacramenti sustinet respectu Christi personam Delegati ac Vicarii, respectû verò pœnitentis personam Judicis ac Medici. Quare necesse est ut sit à Christo institutus, ac deputatus per primos Ecclesiæ Pastores.

Dico. Solus Sacerdos est Minister Sacramenti Pœnitentiæ: ita ut solus possit illud valide administrare. Est de fide côntra Waldenses, Wicleffistas, & Lutheranos.

Prob. 1. Ex Scriptura, Joann. c. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* At hæc verba, quibus continetur institutio hujus Sacramenti, & confertur potestas remittendi peccata, dicta sunt Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus

bus secundum Ecclesiæ Traditionem & Patrum interpretationem. Ergo

2. Ex Patribus. Pro omnibus sufficiant S. Ambrosius, l. 1. de Pœnit. c. 2. ubi ait: *jus hoc solis permissum Sacerdotibus est.* Et S. Chrysostomus, l. 3. de Sacerdotio, c. 5. ubi asserit Sacerdotes Evangelicos habere potestatem animas judicandi, quam neque habent Angeli, neque Archangeli, neque terreni Principes; quia ad hos dictum non est *quæcumque alligaveritis, &c.* unde concludit Christianos omnes curationi Sacerdotum debere se submittere.

3. Ex perpetua praxi Ecclesiæ, in qua semper à solis Sacerdotibus administratum fuit hoc Sacramentum, ut patet ex Sacramentariis & Ritualibus etiam antiquioribus.

4. Ex Conc. Florent. in decreto pro Armenis, & Trident. sess. 14. cap. 6. & can. 10. ubi ait: *Si quis dixerit ... non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christi fidelibus esse dictum: quæcumque ligaveritis, &c. & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata ... anathema sit.*

Confirm. Ex Bulla Martini V. in Conc. Constan-

Conſtantienſi edita de erroribus Joannis Wicleff, in qua quemlibet de Wicleffiſmo ſuſpectum interrogari jubet, utrum credat, *quod Chriſtianus ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, ſoli Sacerdoti de neceſſitate ſalutis confiteri teneatur, & non Laico, ſeu Laicis quantumcumque bonis & devotis.*

Ratio à priori eſt voluntas Chriſti.

Ratio convenientiæ eſt, quia convenit, ut judicium ſacrum & graviſſimum, quale eſt hoc Sacramentum, non omnibus indiſcriminatim committatur, ſed iis ſolis, qui ad hoc munus ſpecialiter conſecrati ſunt. Item conveniens fuit, ut illi ſoli poteſtatem haberent in Corpus Chriſti myſticum, qui ſoli habent in Corpus Chriſti verum ſeu phyſicum, ut ſunt Sacerdotes.

CANONES TRIDENTINI De SACRAMETO PÆNITENTIÆ *Ex Seſſ.* XIV.

SI quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pænitentiam non eſſe vere & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo recon-

reconciliandis, à Christo Domino nostro institututum anathema sit. *Can.* 1.

Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pænitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atq; ideo Pænitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit. *Can.* 2.

Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt; non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit. *Can.* 3.

Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, contritionem, Confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit duas tantum esse Pœnitentiæ partes: terrores scilicet incussos conscientiæ agnitô peccatò, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit

quis

quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata; anathema ſit. *Can.* 4.

Si quis dixerit, eam contritionem quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem, peccatorum, qua quis recogitans annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem fæditatem, amiſſionem æternæ Beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ non eſſe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illam eſſe dolorem coactum & non liberum, ac voluntarium; anathema ſit. *Can.* 5.

Si quis negaverit, confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure Divino aut dixerit, modum ſacrate confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat, âlienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; anath. ſit. *Can.* 6.

Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure Divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præ-

meditatione habeatur etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, circumstantias, quæ peccati speciem mutant. sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem Canonicam imponendam; aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle Divinæ misericordiæ ignoscendum: aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema sit. *Can.* 7.

Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusq; sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem semel in anno, & ob id svadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore quadragesimæ; anathema sit. *Can.* 8.

Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum Ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti; modo tantum credat, se esse absolutum: aut Sacerdos non seriò, sed joco absolvat; aut dixerit; non requiri Con-

fessio-

fessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit; anathema sit. *Can.* 9.

Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis sed omnibus & singulis Christi fidelibus esse dictum; Quæcunq; ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunq; solveritis super terram, erunt solita & in cœlo; & quorum remiseritis peccata, remittunt eis, & quorũ retinueritis, retenta sunt: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit. *Can.* 10.

Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus nisi quoad externam politiam, atq; ideò casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos à rerservatis vere absolvat; anathema sit. *Can.* 11.

Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemq; pœnitentium non esse aliam quàm fidem, quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit. *Can.* 12.

Si quis dixerit, pro peccatis, quæ

ad

ad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis sed neq; sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit. *Can.* 13.

Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atq; ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit. *Can.* 14.

Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse, quod virtute Clavium sublatâ pœnâ æternâ, pœna temporalis plerumq; exsolvenda remaneat, anathema sit. *Can.* 15.



EX

EX TRACTATU DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS

EXTREMA-UNCTIO est Sacramentum à Christo institutum ad conferendam ægroto, de vita periclitanti, gratiam, ad resistendum tentationibus, ferendum patienter dolores, & peccati reliquias abstergendas, per Unctionem Olei benedicti, & orationem Sacerdotis.

QUÆSTIO UNICA

Utrùm Extrema-Unctio sit Sacramentum novæ legis.

Nota. EXtremam Unctionem Sacramentum esse negarunt Waldenses, Wicleffus, Lutherus, & Calvinus contra quos.

Dico. Extrema-Unctio est verum ac proprie dictum novæ legis Sacramentum à Christo instututum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Jac. c. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros*

Eccle-

Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. Ibi agitur de Extrema Unctione, & traduntur omnia, quæ ad verum & propriè dictum Sacramentum requiruntur, videlicet symbolum externum, consistens tum in materia, nempe Unctione Olei, tum in forma, nempe oratione; promissio gratiæ contenta his verbis: *Allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*; institutio Christi; nam solus Christus potuit certis rebus & verbis gratiæ promissionem, proindeque vim infallibilem gratiam producendi annectere; institutio denique permanens: nam verba Apostoli spectant omnes omnium temporum Christianos infirmos.

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sufficiant, Origenes, qui hom. 2. in Levit. ait: *Audi nunc quantæ sint remissiones peccatorum in Evangeliis. Est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum .... est adhuc & septima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lachrymis stratum suum .... & cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam,*

secundum

ſecundum eum qui ait: dixi, pronuntiabo adversùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei; in quo impletur & illud, quod Apoſtolus dicit: ſi quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum, &c.

S. Innocentius I. epiſt. ad Decentium, c. ult. poſtquam retulit Jacobi verba: *Si infirmus aliquis in vobis eſt, vocet Presbyteros, &c.* hæc ſubjicit: *Quod non eſt dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui Sancto Oleo Chriſmatis perungi poſſunt: quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate ad ungendum.* Et infrà: *pœnitentibus* (publicis) *iſtud* (Oleum Chriſmatis) *fundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negàntur, quomodo unum genus putatur concedi?*

„ Hoc Innocentii I. teſtimonium (inquit „ Bellarminus, l. de Sacram. Extremæ-Unct. „ c. 4.) etiamſi ſolum extaret, ſufficere de„ beret. Nam auctor eſt antiquus, ſi„ quidem anno 402. ſedere cœpit: eſt„ que vir Doctus & Sanctus, & ab Au„ guſtino, Hieronymo & Chryſoſtomo „ mirificè commendatus: & epiſtola ejus „ certa eſt; dicit expreſsè & clare hanc

„ Uncti-

„ Unctionem esse Sacramentum à Jacobo
„ explicatum, & ideo non dari iis, qui
„ non sunt capaces aliorum Sacramento-
„ rum; nec ullus unquam veterum eum
„ reprehendit, quòd Unctionem infirmo-
„ rum Sacramentum esse docuerit. " Et
„ paulo inferius hæc subjicit Bellarminus;
Ex hoc etiam testimonio colligimus, cur non extent multa hujus generis testimonia idest, tam antiqua, & tam expressa: quia videlicet non habuerunt occasionem de hac re scribendi. Nam nec Innocentius de hac re scripsisset, nisi Episcopo Eugubino dubitatio illa in mentem venisset, utrum Episcopus possit dare Sacramentum Unctionis Extremæ, an solus Presbyter ... alioqui enim de Sacramentis, quæ in usu quotidiano erant, non scribebant Patres, nisi coacti aliqua occasione, vel nisi hæreticis respondendum esset. S. Augustinus, vel (ut alii volunt) S. Cæsarius, serm. 215. de tempore. *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat, accipiat; & inde corpusculum suum ungat* (per Presbyterum) *ut illud quod scriptum est, impleatur in eo: infirmatur aliquis? inducat Presbyteros, & orent super eum ungentes eum Oleo, &c. videte, fratres, quia qui in infirmtate ad Ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatem recipere,*

cipere, & peccatorum Indulgentiam merebitur obtinere.

Prob. 3. Ex Conciliis, scilicet Regiaticino, anno 850. celebrato, can. 8. ubi clarè hæc veritas asseritur, & ex quo sensus & usus Ecclesiæ octo priorum sæculorum satis innotescit. Florent. in decreto pro Armenis: denique Trident. sess. 14. de Extrema-Unctione, cap. 1. & can. 1. ubi ait: *Si quis dixerit Extremam-Unctionem non esse vere & propriè Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

Prob. 4. Ex perpetua praxi Ecclesiæ in administranda infirmis Extrema-Unctione, quæ constat ex Origene, Innocentio I. Augustino, seu Cæsario, locis citatis; Gregorio Magno, l. de Sacramentis; Beda, in epist. Jacobi; & aliis.

Accedit ratio ex divina providentia desumpta, quam tradit Conc. Trident. sess. 14. in proœmio doctrinæ de Extrema Unctione his verbis: *Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversùs omnia hominum hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia in Sacramentis aliis*

prapara-

præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint: ita Extrema-Unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam si possit divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit.

CANONES TRIDENTINI
DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS
Ex Sess. XIV.

SI quis dixerit, extremam-Unctionem non esse vere & propriè Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit. *Can.* 1.

Si quis dixerit, Sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed

ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum, anath. ſit. *Can.* 2.

Si quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum & uſum, quem obſervat Sancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ Jacobi Apoſtoli, ideoque eum mutandum, poſſeque à Chriſtianis abſque peccato contemni; anathema ſit. *Can.* 3.

Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ quos B. Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos; ſed ætate ſeniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem; anathema ſit. *Can.* 4.

EX TRACTATU DE SACRAMENTO ORDINIS.

ORDO dupliciter ſumitur: 1. pro gradu, ſeu ſtatu Clericorum ad certa officia Eccleſiaſtica conſecratorum; & ſic ſumptus, eſt quid permanens. 2. Pro ipſa Ordinatione, ſeu actione, qua homines

in

in illo gradu, seu statu Clericorum constituuntur, & ad officia illa Ecclesiastica stabiliter consecrantur. Ordo sic desumptus, est aliqua actio transiens.

Ordinatio rectè describitur cæremonia sacra, qua stabiliter confertur potestas ad exercenda certa ministeria Ecclesiastica. Ordinatio autem spectata ut Sacramentum recte definitur: Sacramentum novæ legis, quo stabiliter confertur potestas ad conficiendum Eucharistiam & alia Sacramenta, atque ad alia Ecclesiastica ministeria exercenda. Ordo verò est hujusmodi potestas stabiliter collata.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Ordo, seu Ordinatio sit Sacramentum?

Dico 1. Ordo, seu Ordinatio saltem aliqua est Sacramentum. Est de fide contra Lutherum & alios hæreticos.

Prob. 1. Ex Scriptura, 2. Tim. c. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Quæ verba significant Timotheum Ordinatum fuisse certo quodam ritu sensibili, (nempe impositione manuum, conjuncta scilicet, cum certis verbis sacris) & gratiæ collativo, ideoque à Christo instituto,

&

& quidem in Ecclesia semper duraturo, ut constat ex eodem Apostolo, 1. Timoth. c. 5. *Manus cito nemini imposueris.* Ex quibus colligitur Timotheum habere potestatem ordinandi deinceps alios, ideoque aliis Episcopis eandem potestatem competere. Atqui ritus externus, gratiæ collativus, & à Christo permanenter institutus, est verum Sacramentum. Ergo ordinatio aliqua est Sacramentum.

2. Ex Traditione Patrum apud Bellarminum. Pro omnibus sit S. Augustinus, l. 2. contra epistolam Parmeniani, cap. 13. ubi contra Donatistas probat Sacramentum Ordinis semel acceptum amitti non posse, quia Baptismus amitti nequit, propter characterem scilicet utriusque indelebilem, & potestatem per illum acceptam; sic enim ait: *Ipsi explicent, quomodo Sacramentum Baptizati non possit amitti, & Sacramentum Ordinati possit amitti .... Si enim utrumque Sacramentum est quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.*

3. Ex Conciliis Chalced. act. 15. can. 2. ubi Episcopus, qui propter pecuniam ordinat, *dicitur non venalem gratiam in venditionem deducere.* Florent. in decreto pro

Arme-

Armenis; & Trid. seff. 23. can. 3. *si quis dixerit, Ordinem sive sacram ordinationem non esse vere & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum .... anathema sit.*

Dico 2. Ordinatio Sacerdotis est verè & propriè Sacramentum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Conc. Trident. sess. 23. can. 4. *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum-sanctum: ac proinde frustra Episcopos dicere, accipe Spiritum sanctum: aut per eam non imprimi Characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, Laicum rursus fieri posse; anathema sit.* 2. Quia est de fide aliquam Ordinationem esse Sacramentum. At nulla est in particulari, cui id magis competat; cum per Sacerdotis Ordinationem conferatur potestas maxima & supernaturalis, nempe potestas consecrandi Eucharistiam, & Pœnitentes subditos absolvendi à peccatis: idque maximè conveniens fuit, ut nempe tanta potestas daretur per Sacramentum collativum gratiæ sanctificantis cum jure ad specialia auxilia conjunctæ, & sic homo tanto ministerio dignè fungi possit.

De utraque hac assertione consentiunt Doctores omnes Catholici: sed inter se diffident de aliis Ordinationibus.

CA-

CANONES TRIDENTINI DE SACRAMENTO ORDINIS

Ex Seſſ. XXIII.

SI quis dixerit, non eſſe in novo teſtamento Sacerdotium viſibile & externum, vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum corpus & ſanguinen Domini, & peccatà remittendi & retinendi, ſed officium tantum & nudum miniſterium prædicandi Evangelium; vel eos qui non prædicant prorſus non eſſe Sacerdotes; anathema ſit. *Can.* 1.

Si quis dixerit, præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſiâ Catholica alios ordines, & majores, & minores, per quos, velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur; anathema ſit. *Can.* 2.

Si quis dixerit, ordinem, ſive Sacram ordinationem, non eſſe vere & propriè Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantum ritum quendam eligendi miniſtros verbi Dei & Sacramentorum; anath. ſit. *Can.* 3.

Si quis dixerit, per Sacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe

Spiritum S. aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit; laicum rursus fieri posse anathema sit. *Can.* 4.

Si quis dixerit, Sacram Unctionem, quâ Ecclesia in sancta ordinatione utitur non tantum non requiri, sed contemnendam, & perniciosam esse; similiter & alias Ordinis cæremonias; anathema sit. *Can.* 5.

Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam Divinâ ordinatione institutā, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & ministris; anath. sit. *Can.* 6.

Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis sæcucularis consensu, aut vocatione, irritos esse, aut eos, qui nec ab Ecclesiastica & canonica potéstate ritè ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros; anathema sit. *Can.* 7.

Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos sed figmentum humanum; anathema sit. *Can.* 8.

EX

EX TRACTATU DE SACRAMENTO MATRIMONII.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Matrimonium ſit verum Sacramentum?

Nota 1. MATRIMONIUM dupliciter ſumitur, nempe pro contractu, & pro vinculo per talem contractum inducto. Matrimonium pro contractu acceptum, rectè definitur: contractus quo vir & fœmina, nulla lege impediti, mutuum dominium in ſua corpora ſibi tradunt & accipiunt ad actum conjugalem. Atque ad mutua obſequia ſe obligant. Matrimonium vero pro vinculo acceptum, communiter, definitur: *Viri & mulieris conjunctio maritalis, individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Conjunctio hic ſumitur pro vinculo & nexu; nam intelligitur conjunctio jam facta, & habitualiter permanens. Hæc autem conjunctio dicitur maritalis; quia per illam vir in corpus mulieris, & viciſſim mulier in corpus viri poteſtatem habet in ordine ad carnalem copulam generationi aptam.

Cætera verba ſignificant indiſſolubilitatem vinculi, & mutuam obligationem ad vitæ ſocietatem, atque ad alia mutua debita, & obſequia.

Matrimonium vero ſumptum pro Sacramento, eſt contractus ſupradictus, gratiæ ſignificativus & collativus.

Nota. 2. Matrimonium pro vinculo ſumptum dividitur in legitimum, ratum, & conſummatum. Legitimum vocatur illud, quod mutuo ac legitimo conſenſu inter perſonas non impeditas contractum eſt; quale etiam nunc eſt inter non baptizatos, & olim fuit in Lege naturæ & Moſaica. Unde ut tale non eſt Sacramentum, aut ſaltem præſcindit à ratione Sacramenti. Ratum dicitur, quod eſt legitimum, & inſuper Sacramentum, ſed necdum carnali copula conſummatum; ſive eſt illud, quod inter baptizatos contractum eſt, & ideo majorem firmitatem & inſolubilitatem obtinet. Conſummatum dicitur illud, quod per carnalem copulam extrinſece completum eſt.

Nota. 3. Matrimonium, & ejus uſum eſſe per ſe licitum & honeſtum, fide conſtat contra Simonem Magum, Saturninum, Marcionem, Tabiænum, Encraticas, Manichæos, Priſcillianiſtas, & Albigenſes, qui

qui omnes Matrimonium ut rem intrinſece malam damnarunt. Nam Deus, Geneſ. c. 2. Matrimonium inſtituit; & Chriſtus, Matth. 19. de conjugibus ait: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et Apoſtolus, 1. Cor. c. 7. ait: *Si non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere quàm uri. Iis autem qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere ..... ſi acceperis uxorem, non peccaſti, & ſi nupſerit virgo, non peccavit .... qui Matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* De uſu verò Matrimonii hæc ibidem habet: *Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro, &c.* Idem docent Patres, qui non uſum Matrimonii vituperant, ſed ardorem concupiſcentiæ in eo præſertim ſe exerentem. Qui ardor turpis & indecens eſt, ſed per accidens cum uſu Matrimonii conjunctus eſt, & in ſtatu innocentiæ ob eo ſejunctus fuiſſet, nec imputatur ad culpam ei, qui illum coercere conatur ex auxilio gratiæ.

Nota 4. Matrimonium initio mundi & ſtatim poſt diluvium fuit à Deo præceptum; quia tunc ad conſervationem & propagationem generis humani neceſſarium erat. Sed deſiit hoc præceptum, humano

mano genere sufficienter multiplicato. Imò in nova lege per se laudabilius & melius est abstinere à Matrimonio, & virginitatem perpetuo servare, ut constat tum ex Apostolo, 1. Cor. cap. 7. virginitatem Matrimonio tanquam aliquid melius præferente & suadente: tum ex ipso Christo, Matth. cap. 19. tum ex Traditione, cujus testes sunt Patres: tum ex constanti Ecclesiæ sensu, & praxi in innumeris Sanctis.

Dico. Matrimonium est verè ac propriè Sacramentum novæ legis. Est de fide contra Lutherum, & Calvinum, aliosq; antiquiores hæreticos supra recensitos, qui Matrimonium damnarunt.

Prob. 1. Ex Scriptura. Ephes. c. 5. Apostolus de Matrimonio dicit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Quæ verba significant Matrimonium fidelium esse signum conjunctionis Christi cum Ecclesia per gratiam sanctificantem, & ipsius proinde gratiæ sanctificantis, à Christo institutum. At signum gratiæ à Christo permanenter institutum, est signum efficax, ideoque gratiæ, quam significat, collativum; & consequenter est Sacramentum.

2. Ex Traditione, cujus Patres sunt

testes.

teftes. Pro omnibus fit S. Auguftinus, lib. de bono conjugali, c. 18. ubi ait: *In noftrarum nuptiis plus valet fanctitas Sacramenti quam fecunditas uteri.* Et c. 24. *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in caufa generandi eft, & in fide caftitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in fanctitate Sacramenti.*

3. Ex Conc. Florent. in decreto. *Septimum eft Sacramentum Matrimonii, quod eft fignum coniunctionis Chrifti & Ecclfiæ fecundùm Apoftolum dicentem: Sacramentum hoc magnum eft, &c.* & ex Trident. feff. 7. can. 1. Matrimonium inter feptem Sacramenta propriè dicta novæ legis recenfente, & feff. 24. initio fic ait: *Cùm igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Chriftum gratia præftet; merito inter novæ legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres noftri, Concilia, & univerfalis Ecclefiæ Traditio femper docuerunt.* Deinde, can. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non effe verè & propriè unum ex feptem legis Evangelicæ Sacramentis à Chrifto Domino inftitutum, fed ab hominibus in Ecclefia invectum, neque gratiam conferre, anathema fit.*

Ratio eft inftitutio & voluntas Chrifti, qui convenientiffimè gratiam fanctificantem cum jure ad auxilia gratiæ ad

dixit

dixit Matrimonio fidelium, ad illius statûs officia & onera valde gravia sanctè obeunda.

Confirm. Ex consensu utriusque Ecclesiæ, Latinæ & Græcæ: nam Græci semper, & etiam nunc post schisma, Matrimonium inter septem Ecclesiæ Sacramenta numerant, & semper recensuerunt.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Matrimonium Adami & Evæ erat signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, & tamen non erat Sacramentum. Ergo etiamsi Matrimonium Christianorum sit tale signum, non idcirco est Sacramentum.

Resp. Matrimonium Adami & Evæ, si conjunctionem Christi cum Ecclesia significavit, tantùm ut futuram significavit. At Matrimonium Christianorum significat præsentem Christi cum Ecclesia conjunctionem: unde majorem efficaciam habere debet, ideoque gratiam sanctificantem, quam simul significat, conferre debet ex opere operato non ponentibus obicem.

Porro Christus non infidelium, sed solorum baptizatorum Matrimonium ad esse Sacramenti evexit.

Obj.

Obj. 2. Matrimonium pugnat cum Sacerdotio. Ergo non est Sacramentum.

Resp. Non pugnat ex natura sua & ratione sui, sed tantum jure Ecclesiastico ab Apostolis statuto, & propter impedimenta, quæ necessariò ex ejus usu sequuntur, quæ animum à rebus divinis multum avocant.

Obj. 3. In Sacramentis omnibus tria repeTiuntur, videlicet id quod est Sacramentum tantum, id quod est res tantum, & id quod est res simul & Sacramentum. At hæc tria assignari non possunt in Matrimonio: ergò non est Sacramentum.

Resp Nego min. Nam contractus Matrimonialis est Sacramentum tantum, quia significat & non significatur: gratia sanctificans est res tantum, quia significatur & non significat: vinculum vero Matrimoniale est res & Sacramentum, quia significat & significatur; nam significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, & significatur per contractum quo efficitur.

Obj. 4. Matrimonium licitè contrahitur cum pacto de danda certa pecunia. At hoc pactum esse simoniacum, si Matrimonium esset Sacramentum. Ergo.

Resp. Nego min. Quia pecunia illa non datur nec exigitur pro Sacramento, sed

ſed pro ſuſtinendis Matrimonii oneribus.

CANONES TRIDENTINI
DE MATRIMONIO.
Ex Seſſ. XXIV.

SI quis dixerit, Matrimonium non eſſe verè & propriè unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis, à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neq; gratiam conferre anathema ſit. *Can.* 1.

Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit. *Can.* 2.

Si quis dixerit, eos tantum conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impendire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant & dirimant, anathema ſit. *Can.* 3.

Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe: anathema ſit. *Can.* 4.

Si quis dixerit, propter hæreſim,

aut

aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à conjuge, diſſolvi poſt Matrimonii vinculum: anathema ſit. *Can.* 5.

Si quis dixerit, Matrimonium ratum non conſumatum per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugum, non dirimi; anathema ſit. *Can.* 6.

Si quis dixerit, Eccleſiam errare cum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumq; vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente aliud Matrimonium contrahere; mœchariq; eum, qui dimiſſa adultera, aliam duxerit & eam quæ dimiſſo adultero, alii nupſerit, anathema ſit. *Can.* 7.

Si quis dixerit, Eccleſiam errare cum ob multas cauſas ſeperationem inter conjuges, quoad thorum, ſeu quo ad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri poſſe decernit, anath. ſit. *Can.* 8.

Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares, caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe Matrimonium contrahere, contractumq validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica vel voto, vel oppoſitum nihil aliud eſſe,

quam

quam damnare Matrimonium, posseq; omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint habere donum, anathema sit: cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari. *Can.* 9.

Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui Virginitatis, vel cælibatus, & non esse melius, ac beatiùs manere in Virginitate aut cælibatu, quam jungi Matrimonio, anathema sit. *Can.* 10.

Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones & alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur damnaverit, anathema sit. *Can.* 11.

Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos; anathema sit. *Can.* 12

F I N I S.





